



Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Incitamenta

Bellecius, Aloysius

Ratisbonæ [u.a.], 1755

Caput III. De spe bonorum per virtutem solidam acquirendorum. Nam
solùm homines ejus studiosi

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55553)

CAPUT III.

DE

SPE BONORUM PER VIRTUTEM SOLIDAM ACQUIRENDORUM.

Percussa, dejectaque reatorum
antea malorum formidine
mens, denuo erigenda est *spe*
bonorum per virtutem soli-
dam acquirendorum, ejusque dulce-
dine ad sanctimoniam solertiùs pro-
curandam, fortiter impellenda. Quàm
efficax autem comparandæ sanctitatis
incitamentum sit firma spes emolu-
mentorum, assidua pietatis cura in hoc
etiamnum orbe obtinendorum, do-
cumento nobis sunt veteris testamenti
Patriarchæ & Vates præsertim regius,
quibus cœlestium ejusmodi proven-
tuum fiducia non solum in adversis
solatium, in laboribus fomentum, in
periculis refugium, in vexationibus

H 4

seu-

scutum, in omnibus denique procel-
lis anchora fuerat, portus & pharos;
sed insuper sectandæ probitatis peren-
ne calcar exstiterat, ac potens invita-
mentum. Hæc enim remissos anima-
bat, abjectos erigebat, deficientes su-
stentabat, & ad proficiendum identi-
dem acriter incendebat. Hoc igitur
stimulo ut & nos ad progrediendum
in via spiritûs incitemur, geminum,
qui inde sperandus est, fructum pau-
cis explanabo, nempe beatitatem vitæ,
& quietem mortis, qua tales à benigno
Numine prænumerata mercede etiam-
num vivi munerantur. Nam solum
animæ perfectionis studiosæ I. beatè
vivunt: II. placidè moriuntur.

§. I.

*Soli perfectionis studiosi beatè
vivunt.*

I. Ob cha-
rismata,
queis gau-
dent.

I. **A** Deò sinistra nonnullorum ani-
mis de piorum vita opinio
insidet, ut nihil tristius illis, horridius
nihil, tetricumque magis depingi pos-
se

se videatur. Dum enim virtutem cogitant, formam sibi fingunt hirsutam, pallidam, rugosam, ciliciis undique cinctam, flagellis miserè cruentatam, jejuniis foedè emaciatam, perpetuò lacrymis gemitibusque indulgentem, pectusque saxis asperè tundentem; à qua omne gaudium, risus, solamen, voluptas & amœnitas omnis quàm longissimè absint, exulentque.

At verò cæcorum hoc de coloribus judicium esse ac fanaticum phantasiæ ludibrium, ex dicendis constabit, queis ostendam, pietati solidæ addictos, in hoc adhuc procelloso mundi æquore dies mirè tranquillos felicesque ducere, idque triplicem ob causam, 1. ob charismata, queis gaudent: 2. ob solatia, queis affluunt: 3. ob providentiam, qua singulariter proteguntur, foventur, reguntur: beante DEO prænunciis ejusmodi futurorum deliciis fideles sibi fervos, in hac adhuc miseriarum valle degentes; non secus ac olim Israëlitas, etiamnum in deserto errantes, *voluntaria*

H 5

mannæ

mannæ *pluvia* (a) inundavit; Christi- que discipulos in monte Thabor cœ- lestibus lautiis faginavit.

Quod attinet ad superna, queis gau- dent charismata, ea respondent quo- tuor dotibus corporum gloriosorum, quæ modo quodam morali animabus perfectis anticipato munere à cœlo communicantur; quæve quatuor quasi portæ sunt, per quas illa conscientia *pax, quæ exuperat omnem sensum*, (b) in easdem triumphans ingreditur. Si- cut enim obscuritas intellectûs, lan- guor voluntatis, appetitionum rebel- lio, hebes crassitudo memoriæ non nisi terrestria reolentis, illi per Jere- miam descripti *quatuor venti à quatuor plagis sunt*, (c) qui tantas in mortali- um animis procellas excitare, om- nemque cordis serenitatem fugare con- fueverunt; ita è contrario *claritas* in- lectûs in cognoscendis veritatibus æternis: *agilitas* voluntatis in patran- dis operibus bonis: *subtilitas* memo-
riæ

(a) Psal. 67. v. 10.

(b) Phil. 4. v. 7.

(c) Jerem. 49. v. 36.

riæ in formandis cœlestibus ideis, & quædam mentis (ut ajunt) *impassibilitas* ex assidua appetituum refrænatione orta; hæc, inquam, sunt illi quatuor fontes Paradisi, qui animi hortum irriguo tractu fœcundant; illudque beatæ quietis, ac quietæ beatitudinis regnum constituunt, quod qui intra se possident, omnes terræ Monarchas felicitate immensum antecellunt. His autem quatuor dotibus animas illorum, qui virtuti solidæ student, prærogativo omine in hac etiamnum vita excellere, haud difficulter ostenditur.

Nam primò talium intellectus per cœlestia, quibus identidem illustrantur, lumina tantam acquirit *claritatem*, ut inter tot erroneas, queis orbis obscuratur, de vera pietate opiniones, *quasi stella matutina in medio nebula* refulgeat, (d) verum à falso, bonum à malo critica luce minutim discernendo. Veritatem axiomatum Evangelii instar pellucidi solis intimè penetrent:

(d) Eccli. 30. v. 6.

netrant: octo beatitudines, quæ ab aliis magnæ calamitates creduntur, genuinæ ipsis beatitates sunt, omnium votis ambiendæ. Latentem in contemptu gloriam, reconditas in paupertate divitias, resultans ex adversis solatium (quæ mundanis repugnantes sibi mutuò chimæræ videntur) acutissima mentis acie perspiciunt. Nominis famam, corporis commoda, sensuum illecebras vanitatem vanitatum ac inane nihilum esse, ipsaque umbrâ quid minus, adeò clarè perspicuèque agnoscunt, ut satis mirari nequeant, Christianos reperiri, qui ista æstiment, sectentur, & ament. Verbò: ex numero illorum sunt, *quibus datum est nosse mysteria regni DEI.* (e) Quantæ autem tranquillitatis securigo viva horum cognitio sit, rerum inexpertis difficile captu est.

Porro ex hac intellectûs claritate unâ profluit mira voluntatis ad quodvis bonum *agilitas* & felix propensio omnem DEI nutum placitumque summa

(e) Matth. 13. v. 11.

ma cum promptitudine exequendi. Ejusmodi homines folisequia diceres, divini Solis ductum famulo flexu continuo adorantia. Similes eos esse illis angelis affirmares, qui succincti zonis, thronum Numinis circumstant, ad omnes ejus voluntates in momenta parati. (f) Onus, quod aliis grave, ipsis leve est. Jugum, quod aliis durum, ipsis suave videtur. Injuriarum spinas intrepida manu decerpunt: despectionis absynthium avido ore exhauriunt: projectos in se calumniarum lapides ut gemmas colligunt. Tres actus Theologicos virtutesque morales tanta facilitate eliciunt, frequentant, intendunt, ut eorum vita non nisi contexta ex iis aurea series sit, & connectens terræ coelum catena. Spontaneas corporis afflictationes, consue-
tas pietatis exercitationes, congruas statui functiones non asperata in rugas fronte, non animo reluctante, & quasi tristis mancipatûs pertasi; sed alacres & vegeti obeunt, constantes & fervidi perficiunt, memores illius Apo-
stoli

(f) Psal. 102. v. 21.

stoli sententiæ: *hilarem datorem diligit DEUS.* (g) Quæ existimationi, proprio amori, & cuticulæ adversantur, tantùm abest, ut horreant, ut potius generosi presentent, serioque exoptent. In summa: tales (ut testatur Bernardus) *ad omnia via & vitæ hujus religiose exercitia non solum ambulant, sed currunt: imò potius volant, ut eis & vigilia breves, & cibi dulces, labores non solum tolerabiles, sed & acceptabiles videantur.* (h) O igitur mortales verè beatos! qui adeò prompti ad bonum, agilesque salebrosam virtutis semitam pervolatis! O quis emanantem inde beatitatem, quis portatilem hunc vestrum animi paradisum dignis coloribus adumbrabit?

Præterea hanc voluntatis agilitatem comitatur insignis quædam & spiritalis memoriæ *subtilitas*, qua præsentem sibi DEUM adesse, in cordis templo morari, omnia audire, & incueri ejusmodi animæ continuò recolunt.

(g) 2. Cor. 9. v. 7. (h) Serm. 3. de Ascensione Dnini.

qua illustrationibus divinis & impulsibus internis nunquam non vigiles attendunt, & conscientiae statum identidem acutè rimantur. Præcipuè autem mirè subtiles sunt in detegendis appetitibus pravis, in rememorandis deflendisque lapsibus præteritis, in perscrutandis eorundem principiis, in amovendis denique obstaculis, quæ morum emendationem & spiritûs profectum præ aliis impediunt, aggravant, ac remorantur; idque cum tanta dulcedine, ut interiorum, qua diffluunt, pacem proditores oculi vultusque amico fidere loquantur.

Istam subtilitatem ponè consequitur felix illa *impassibilitas* mentis, qua tales animæ *loricam fidei* inducunt, *scuto fidei* tectæ, *galea salutis* munitæ, & *gladio spiritûs* armatæ, (i) omnes mundi fallacias, stygis assultus, carnis illecebras victrici nisu cataphractæ retundunt; ita ut nullus illicitæ cupiditatis sensus, nullius vetitæ rei amor, vitiosa cupiditas nulla gravius animo vul-

(i) Ephes, 6. v. 14. & seq.

vulnus inferre queant. Quin imò ita plagis imperviæ redduntur, & usque adeò malis superiores evadunt, ut inter prospera & adversa sibi semper constant: ut nec adversis dejiciantur, nec prosperis efferantur; sed æquabili moderamine suis usque affectibus magnanimæ dominantur.

Rem ita se habere testatur Chrystomus, ita differens: *virius tam est invicta, tam nihil cedens hujus mundi varietatibus, ut super malitiæ retia volitans, quasi è quadam sublimi specula omnia humana despiciat, nihil, quod aliis molestum est, sentiens. Et sicut is, qui supra excelsam petram stat, fluctus videt, quos videt ad petram magno impetu disrumpi, ac protinus in spumam solvi, ita & virtuti vacans, in securo constitutus loco, nihil insuave fert à rebus turbulentis, sed tranquillus animo & quietus sedet.* (1) O igitur verè supparem Angelicæ impatibilitatem, quæ eò gloriosior, quò ob naturæ conditionem difficilior est.

At

(1) Hom. 1. in 2, Corinth, & hom. 23. in Genes

At nondum hęc sistit Solis æmula
 virtus; insuper teste eodem Sancto
 plane invictos facit suos, continuamque
 præbet voluptatem, ita ut ne quidem sen-
 tire eos sinat rerum istarum inæqualita-
 tem. Quemadmodum enim si exiguam
 scintillam in magnum pelagus injicias,
 eam protinus extinxeris; eodem modo mo-
 lestia omnis, quamlibet ingens, si in ani-
 mam bene sibi consciam inciderit, confe-
 stim perit, & evanescit. Exemplo no-
 bis sit B. Paulus, qui, cum videret quasi
 nivis cumulos tentationes quotidie in-
 gruentes, nihilominus non aliter, quàm si
 in medio paradiso vixisset, ita gaudebat,
 gestiebátque. Hęc S. Archi - Præsul
 Constantinopolitanus. (m)

Ex quibus luculenter patet, homi-
 nes perfectionis constanter studiosos
 quatuor dotibus corporum glorioso-
 rum modo quodam morali in hoc ad-
 huc orbe anticipatò beari. Quantæ
 autem felicitatis origo, quamque so-
 lidæ pacis principium hæc charismata
 sint, non calamo exprimi, sed sola

Pars III.

I

experi-

(m) Idem ibidem.

experientia percipi potest. O igitur animas terque quaterque beatas, quibus in hac adhuc lacrymarum valle felices illæ conceduntur prærogativæ, quæis Sanctorum olim corpora per totam æternitatem dotata fulgebunt; cum eæ intellectûs *claritate* Archangelos, voluntatis *agilitate* Seraphinos, memoriæ *subtilitate* Cherubinos, mentis *impassibilitate* seu æquabili semper stabilitate ipsos etiam *Thronos* æmulentur. Quis ergo contradicat Chrysostomo dicenti, *tales in terrarum adhuc regione degentes, quasi jam in cælis vivere?* (n) Præcipuè si insuper perpendantur stupenda illa, quæis affluunt, solatia.

II. Horum duo genera numerantur, primò illorum, quæ solo animo concipiuntur; secundò eorum, quæ inde etiam in nostros sensus totumque corpus propagantur. Hæc ultima quàm magna subinde, quàmque intensa existant, argumento nobis sunt (ut plures alios silentio præteream) Sancti Antonius,

(n) Hom. 20, in Matth.

tonius, Ephrem, (o) Ignatius, gemini-
 que Francisci Seraphicus & Xaverius,
 qui tanto non rarò dulcedinis torren-
 te inundabantur, ut his ad satietatem
 gustandis, noctes iis nimiùm breves,
 præcordia nimis angusta, Solis cursus
 nimiùm præceps fuerit visus. Imò su-
 bin, tam copiosis voluptatibus ferendis
 jam impares, eisdem modum à coelo
 poni ardentè petierunt; sanèteque
 confessi sunt, omnes tolerantias, la-
 bores, & ærumnas in virtutis palæstra
 pluribus lustris exantlatas, unica ejus-
 modi guttula centuplici fœnore com-
 pensari; nec immeritò. nam hæ cœ-
 lestes deliciæ prænuncium quoddam
 divinæ illius mensæ nectar sunt, *cui*
comparata omnis aliunde jucunditas teste
Bernardo mæror est: omnis suavitas do-
lor est: omne dulce amarum est: omne
postremò, quodcunque delectare potest, mo-
lestum est. (p)

Et profectò si Archimedes tanto
 tamque singulari gaudio affecit inven-

I 2

ra

(o) S. Ephrem Tom. 3. serm. de vita reli-
 giosa. (p) Epist. 114.

ta subitò mechanica quædam demonstratio, ut illico è balneo avolans, instar delirantis citato gressu domum properârit, illud identidem summo clamore ingeminando: *reperi! reperi!* O qualis ergo quantaque voluptas ea erit, quæ ex contemplatione veritatis cujusdam æternæ in nostro corde pleno flumine redundabit? Quis explicare poterit teneros sensus gaudiaque limpidissima illius animæ, quæ Dilecto suo amoris vinculo intimè unita, cum Sulamitide exclamare potest: *inveni, inveni, quem diligit anima mea. tenui eum, nec dimittam.* (q) Ah! Philippos Nerios nos esse, Theresias, Stanislaos, Catharinas Senenses oporteret, ad has delectationes rite penetrandas; præcipuè cum ipse Ecclesiasticus asseveret, *non esse oblectamentum super cordis gaudium.* (r)

Verùm cum posterius hoc genus consolationum non omnibus etiam verè piis, nec semper communicetur; imò cum periculi aliquid non raro ad-

(q) Cant. 3. v. 4. (r) Eccli. 30. v. 16.

admixtum habeant, hinc solatiorum primæ classis, quæ solam mentem afficiunt, quæve ab omnibus & semper percipi possunt, major habenda est ratio, curandumque, ut potius illorum spe ad sectandam sanctitatem impellamur. Duo autem præcipuè sunt fontes, ex quibus germana hæc solamina in mortalium corda uberiori vena profluere solent, nempe *gloria præstantia*, & *thesaurorum abundantia*. Quò copiosiora hæc fuerint & exceliora, eò solidiora quoque emanantia inde gaudia esse consueverunt; uti videre est in coelicolis, qui ideo beatissimi vivunt; quia summa *gloria*, summoque *thesauro* potiuntur.

Jam verò gemina hæc emolumenta in hac adhuc vita eminenti gradu possidere animam virtutis solidæ studiosam, in aprico est. Hæc enim (ut coelestia perhibent oracula) Christi soror & mater est, ejusdem amica & sponsa est. (s) hac autem cognatione

I 3

quid

(s) Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est. Matth. 12. v. ult. Vos

quid eminentius est? Præterea *regnum cælorum*, (t) *divitiæ salutis*, DEUS ipse *thesaurus ejus est*; (u) ita ut etiam illa cum Salomone affirmare possit: *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, (nempe cum perfectione) & *innumerabilis honestas per manus illius*. (x) hac autem rerum copia quid locupletius est? Certè omnis opulentia Abigailis & Bersabeæ: omnis magnificentia Estheris & Judithæ non nisi umbra sunt, collata excellentiæ & opibus talis animæ.

Non solùm ea participat inestimabile illud margaritum amicitiaë divinaë, sed insuper propter arctissimum, qui illam inter & Christum intercedit, nexum contrahit quandam affinitatem, & mysticam conjunctionem cum ipsa Sacrosancta Trinitate, & communem quandam ineffabilium bonorum societatem. Quis ergo neget, solide
pro-

amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Joan. 15. v. 14. *Sponsabo te mihi.* Osee 2. v. 19. *Soror mea sponsa.* Cant. 9. v. 10. (t) Matth. 3. v. 2. (u) Isa. 33. v. 6. (x) Sap. 7. v. 11.

probos gloriæ præstantia, & thesauro-
rum abundantia plurimum excellere?
Quid igitur mirum, quòd ii quoque
*exultent letitia inenarrabilis & glorifica-
ta?* (y) quòd naufragi innatent de-
liciarum oceano, & anticipatò jam
æmula illi pace fruantur, qua Cœli-
tes æternum gaudent? Nam quò quis
excellens est honore & divitiis au-
ctior, eò & felicius in hoc orbe cen-
setur; gloriosior autem nulla, nulla
ditior conditio in his terris reperitur,
ac illa talis animæ est; ut ex dictis
abunde patet. Ergo nemo pariter
terrificarum amplioribus affluit sola-
tiis, quàm genuinæ pietatis candida-
tus; adeoque & nemo eodem in hoc
adhuc orbe beatius vivit.

Nec mirum; nam in ejus pectore
geminæ illæ omnium turbationum sca-
turigines exsiccatæ arent: duo illi
omnis tranquillitatis hostes depressi ja-
cent, nempe voluntas propria, amor-
que proprius. quod biceps monstrum
interni omnis belli infaustam originem

I 4

esse

(y) 1. Petr. 1. v. 8.

esse multiplici experientia constat. Quid enim aliud est, quod tam turbidas in nobis tamque frequentes excitat tempestates, nisi quod subin aliquid fiat, quod commissum nollemus: aut aliquid intermittatur, quod factum vellemus? quod quippiam eveniat aut honori adversum aut cuticulæ ingratum? quod consilia nostra everti, desideria impediri, commoda tolli, conatus infringi, eludi que cernamus? hoc scilicet est, quod urit, mordet, pungit. hæc infelix illa querelarum Lerna, hic stygius ille puteus est; unde emergunt *in terram*, & *exeunt illæ locustæ* curarum, angorum, turbarum, & afflictionum, quarum *cruciatus sunt sicut cruciatus scorpionis, cum percutit hominem.* (z)

Jam autem cum anima virtuti dedita omnem suam voluntatem exuta, non respiret nisi divinam; cum propriæ existimationi sensuumque oblectationi sponte renunciaverit; cum nullius rei conditæ desiderium sit unicum
ejus

(z) Apoc. 9. v. 4. & 5.

ejus votum, suique dominium sit amplissimum ei imperium; à duplici hoc omnis perturbationis fonte quàm remotissima degit, & in ipso quietis palatio securissima vivit. Cùm enim nil in orbe sine Numinis nutu eveniat; illa autem nihil, quàm quod DEUS, velit; hinc ei quoque nil unquam contrà accidit, quàm optat. Hoc ipso quòd contemni cupiat, sui-que afflictionem amet; nec vilipensione turbatur, nec adversis affligitur. Et quia aut nihil desiderat, aut modicum præcisè: & etiam hoc tantùm modicè prensat, contrariis casibus mentis tranquillitate nunquam dejicitur. Quo fit, ut tam puro intus tamque constanti solamine gaudeat, ut nemo id capere nisi expertus possit. Quis ergo neget, solas animas virtutis solidæ studiosas in hac adhuc miseriarum valle ob solatia, queis affluunt, beatas omnino felicesque vivere?

Et quidni? cùm enim eæ (ut ait Augustinus) *in illo gaudeant, qui non*

potest perire : (aa) illi innitantur, qui non potest corruere : illi confidant, qui non potest fallere ; necessariò genuina voluptate perfunduntur, mira felicitate beantur, & instar Olympi omnes terrenas nubes toto vertice egressæ, constanter serenos numerant dies. Ut proin jure exclamet Bernardus : ô felix sanctæ conscientia jucunditas ! quid illâ in rebus ditius vel dulcius ? Quid in terra quietius atque securius ? (bb) Certè si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. (cc) Si reperire est beatitudinem in terra, hac profectò gaudet sanctitudinis appetens anima.

*Et tamen (quis possibile id credat) & tamen invenire sit aliquos, qui sine ullo motu pioque sensu hæc legant ? qui ista considerent, quin per ea ad sectandum pietatis studium inflammantur ? quibus difficile accidat, *summitatem frondium avellere, ut auferant medullam cedri ? (dd) in palmam ascendere,*
*ut**

(aa) in Ps. 84. ante medium. (bb) Epist. 373.
(cc) l. 2. c. 4. de imit. Christ. (dd) Ezech. 17.
v. 4.

ut apprehendant fructus ejus? (ee) Ægypti ollas spernere, ut potiantur cœlesti manna? O Superi! credimus, quòd sanctitatis avida mens sit quasi jure convivium; (ff) & tamen malumus cum filio prodigo inter porcos famere, & siliquis pasci, quàm divinis hisce cupidis nos dignos reddere. O Domine! illumina tenebras nostras; (gg) immitte nobis nauseam mundanorum, ut tandem aliquando superna appetamus.

III. Accedit, quòd addictos prohibitati animos singularis Providentia Numinis speciatim foveat, tutetur, & regat; id quod tertium est atque præcipuum terrestris hujus, qua sanctimonix sectatores in hoc jam mundo triumphant, beatitatis fundamentum. Tales enim providis DEI brachiis inserti, instar pupillorum sub tutela fidi tutoris: veluti infantes in sinu sollicitæ matris: quasi hospites in navigio vigiliis nautæ tuti vivunt, securi quiescunt,

III.
Ob Providentiam,
qua singulariter
protegentur, foventur,
reguntur.

(ee) Cant. 7. v. 8. (ff) Prov. 15. v. 15.
(gg) Pl. 17. v. 29.

scunt, & portum salvi ingrediuntur. Certum enim est, illam Mentem æternam peculiari affectu invigilare commodis illorum, qui sedulo conatu acquirendæ perfectioni constantes incumbunt. Huic veritati probandæ unicum ex innumeris argumentum attulisse sufficiat.

Nam edicite, amabo, quid vilius quàm *passeres*, quorum *duo asse ve-neunt*? & tamen asseverante id Christo, nec *unus ex illis cadet super terram* sine nutu Divini Patris. (hh) Quid neglectius capillo, quod humi abjectum pedibus conculcatur? & tamen sacra testante Pagina, ab æterno *omnes numerati sunt*. (ii) Quid abjectius *lilio*, aut *agri fæno*, quod *hodie est*, & *cras in clibanum mittitur*? & tamen ea *DEUS sic vestit*, ut nec *Salomon in omni gloria sua coopertus sit*, sicut *unum ex istis*. (ll) Quid denique contemptius *corvis*, qui *non seminant*, neque *metunt*, quibus *non est cellarium neque*
hor-

(hh) Matth. 10. v. 29. (ii) ibid. v. 30.
(ll) Matth. 6. v. 29. & 30.

horreum? & tamen quotidie DEUS pascit illos. (mm) Si ergo (quæ Christi argumentatio est) si ergo Pater cælestis tanta sollicitudine tam vilibus animalculis & exsucco gramini providere dignatur, *quantò magis vos*, (nn) ô fideles animæ! tuebitur, diriget, ac fovebit? vos, inquam, *quas in charitate perpetua dilexit*: (oo) *in funiculis Adæ sibi adstrictas tenet*, (pp) & *in manibus suis descriptas circumfert*; (qq) secundùm illud Sapientis effatum: *justorum animæ in manu DEI sunt*. (rr)

Ita est ô Pater! (Salomonis verba sunt) *tua Providentia gubernat omnia*, (ss) & *cum magna reverentia disponis nos*; *subest enim tibi, cum volueris, posse*. (tt) *Tibi quidem cura est de omnibus*; (uu) sed præcipuè de illis, quibus perfectionis studium vicissim curæ est. Teste Augustino *curas equidem unumquemque nostrum tanquam solum*

(mm) Luc. 22. v. 24. (nn) Matth. 6. v. 30.
(oo) Jerem. 31. v. 3. (pp) Osee 11. v. 4.
(qq) Esa. 49. v. 16. (rr) Sap. 3. v. 1. (ss)
Sap. 14. v. 2. (tt) Sap. 12. v. 18. (uu)
Sap. 12. v. 13.

lum, & sic omnes tanquam singulos; (xx)
 sed tamen illis speciatim attendis, qui
 pariter virtuti singulariter intendunt.
 hos enim *in sinu tuo portas: (yy)* hos
quasi pupillam oculi custodis: (zz)
 hos per varios anfractus salvos dedu-
 cis, ab eis offensionum lapides amo-
 liendo, tentationum laqueos averten-
 do, stygios assultus retundendo, va-
 riosque eventus ita sapienter mode-
 rando, ut *diligentibus te omnia coope-*
rentur in bonum, (aaa) ipsi non ra-
 rò lapsus.

Porro quantarum consolationum
 scaturigo, quàm beatæ quietis, quàm
 firmæ spei fundamentum ejusmodi
 Providentiæ viva fides & experimen-
 tum sit, difficile dictu est. Quid
 enim timeat, quærit Augustinus, *quid*
timeat homo in sinu DEI positus? (bbb)
 quam re indigeat Numine plenus?
 quid aliud præterea desideret, qui
 cum Dilecto suo omnia possidet? Ah!

Do-

(xx) l. 3. confess. c. 11. (yy) Num. 11.
 v. 12. (zz) Deut. 32. v. 6. (aaa) Rom. 8.
 v. 28. (bbb) l. 2. confess. c. 11.

*Dominus regit me, (cum Davide læta
ejusmodi anima exclamat) Dominus
regit me. ergo nihil mihi deerit. (ccc)
Angelis suis mandavit de me, ut custo-
diant me; ut in manibus suis portent
me. ergo non offendam ad lapidem pedem
meum. (ddd) Quin & super aspidem &
basiliscum innoxius ambulabo: leonem &
draconem illasus calcabo. (eee) Imò
etiamsi mortiferum quid bibero, non mihi
nocebit. (fff)*

*Adhæc Dominus illuminatio mea &
salus mea; igitur quem timebo? Domi-
nus protector vitæ meæ; itaque à quo
trepidabo? (ggg) Ah! nihil mihi eve-
nire permittet, (Augustini oraculum est)
nisi quod mihi prosit, etiamsi nesciam;
(hhh) quia nemo tam pater ac ille, ut
asseverat Tertullianus. (iii) Scit, quid
mihi melius congruat; cum sit Sa-
pientissimus: illudque mihi dare etiam
potest; cum sit potentissimus. ergo
illud*

(ccc) Ps. 22. v. 1. (ddd) Ps. 90. v. 11.
(eee) ibid. v. 12. (fff) Marc. 16. v. 18.
(ggg) Ps. 26. v. 1. (hhh) Soliloq. c. 15.
(iii) lib. de pœnit.

illud etiam certò dabit ; cùm mei
amantissimus sit. Igitur *conjeciam me*
in eum , non subtrahet se , ut cadam.

(III) *Omni sollicitudinem meam projici-*
ciam in eum , quoniam ipsi cura est de
me. (mmm) Nam *Dilectus meus mihi,*

& ego illi. (nnn) O fortem prospere-

ram ! ille mihi ego illi ille
mihi in deliciis : ego illi in amoribus ,

ille mihi salutis : ego illi curæ sum . er-

go votorum compos quid aliud pe-

tam ? omnium satur quid amplius
optem ? quid aliud superest , quàm ut

timoris expers , omnium secunda , in
pace in idipsum dormiam , & requiescam.

(ooo) Ita sentit dedita sanctitati mens
O profectò felicitatem stupendam ! O

providi Numinis favorem immen-

sum , qui perennis gaudii perpetuus
fons est.

Enimvero si mihi linguæ centum
forent ; si manus & calami centum
emananti inde beatitudini pro merito
extollendæ sufficiens haud forem ; ut

nec

(III) I. 2. Conf. c. II. (mmm) I. Petr. 4.
v. 7. (nnn) Cant. 2. v. 16. (ooo) Pl. 4. v. 9.

nec excellentiæ animi, qua ejusmodi heroes adversos sibi casus despiciunt. Licet enim (id quod Jobo evenit) ventorum turbine *concuſſa quatuor angulis domus repente corruat*: licet ignis DEI cadat è cælo, & *tactas oves puerosque consumat*: licet hostiles turmæ invadant omnia, auferant, disperdantque; (ppp) quamvis denique fluctus maris naufragas hauriant opes, & *cataractæ cæli apertæ, ruptique fontes abyſſi* (qqq) cuncta inundent, evertantque; nihilominus impavidos tales ferient ruinae: etiam inter procellas velut acus magnetica divinæ voluntatis cynosuram sequuntur: instar solisequii etiam nebulis tectum Justitiæ solem proni adorant. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum*, (rrr) consueta eis parcemia est. Probè enim norunt, hæc omnia ejus nutu fieri, qui *imperat ventis & mari*: (sss) *quæ ligat aquas in nubibus suis*, (ttt) *habens*

Pars III.

K

cla-

(ppp) Job. 1. v. 15. & seq. (qqq) Gen. 7. v. 11. (rrr) Job. 1. v. 21. (sss) Luc. 8. v. 25. (ttt) Job. 26. v. 3.

146 *Pars III. Cap. III. §. 1. Num. III.*
clavem abyssus. (uuu) Sciunt, de ejus clem-
mentis Providentiæ throno procedere ful-
gura & tonitrua, (xxx) & flammam ignis
devorantis. (yyy)

Quodsi epotandus eis morborum
calix porrigatur, hunc minimè nau-
seant, certi medicam Numinis manum
sibi eundem miscuisse. Si conjura-
tus contra eos confurgat tartarus, in-
fracti perstant; sciunt enim, quia *fide-*
lis DEUS faciet cum tentatione proven-
tum. (zzz) Unde fit, ut nullas tri-
stitiæ hyemes, nullos inconstantia
apriles vivant; sed placidum semper
decurrant ævum; cùm serenus eis
etiam inter nubila rideat Phœbus. Il-
la Jessiadis verba: *Dominus sollicitus est*
mei; (aaaa) illa Ignatii suspiria: *gu-*
berna, sicut scis & vis; nam scio, quod
amator sis, familiares eisdem tessera
sunt, quis velut clypeo muniti, om-
nes curarum aculeos procul arcent,
fugantque. Et hæc beata solidè pio-
rum

(uuu) Apoc. 12. v. 1. (xxx) Apoc. 4. v. 1.
(yyy) Isa. 29. v. 6. (zzz) 1. Cor. 10. v. 13.
(aaaa) Psal. 29. v. 18.

rum in hoc adhuc orbe conditio est. Sed nota: solidè piorum; soli enim perfectionis studiosi tanta beatitate in hac etiamnum vita fruuntur.

O igitur felicem illius animæ fortem! quæ, misso rebus creatis nuncio, se DEO ex asse consecrat, devovet-que. quæ nil sibi, quod Conditori non offerat, aut avara reservat, aut diffidens excipit. quæ propriæ voluntatis expers non nisi ex nutu divino vivit. Hæc enim Numini confisa nil quærit, vel optat præter gratiam: nil horret, aut fugit præter peccatum: nil timet, vel odit præter seipsam. Dilecto suo innixa nihil non audet: omnia sperat: imò cum Davide *in DEO suo etiam transgreditur murum.* (bbbb) superno ardore flagrans, in virtutis femita volat, & liberam cædiis auram spirans, paternæque Providentiæ sinui indormiens, inter Patris æterni brachia auream vivit pacem, cœlestis illius, quam in cœlis expectat, prænunciam. Nempe quia

K 2

illa

(bbbb) Psal. 17. v. 30.

illa se totam D E O , vicissim etiam DEUS se totam illi communicat. quo fit, ut ejusmodi homo in hoc adhuc mundo per omnem partem beatus vivat tum ob *charismata*, queis gaudet: tum ob *solatia*, queis affluit; tum denique ob *providentiam*, qua singulariter protegitur, fovetur, & regitur.

Ad hæc jam quis nobis sensus? his perceptis, quæ modò animum sententia subit? Enimvero aut nobis frons omnis perit, si vera hæc esse inficiamur: aut æs circa pectus rigit, si tanta beatitudo nullam in nobis sui orexin movet. Quid enim? an non in saxum obriguisse oportet, si nos tot tamque excellentia, quæ sanctimoniam asseclis etiamnum vivis promittuntur bona, tamen ad procurandam sanctitatem non animant? Ah! *pro re vana* (Kempenis lamentum est) *pro parva promissione die noctuque fatigari non timetur*; & interim *pro obtinenda probitate vix pes semel à terra levatur*. O Superi! *pro uno numismate interdum turpiter litigatur*; & *pro acquirenda illa felicitate,*

tate, quæ in hoc adhuc orbe pietati comes est, *vel ad modicum fatigari pigritatur.* (cccc)

Vah nos insensatos! cisternis dissipatis, nuci cassæ, Ægypti cepis stulta ingluvie inhiamus; & torrentes voluptatis, qui in hac quoque lacrimarum valle pias mentes inundant, amentes respuimus. Illa charismata negligimus, quæ beatorum corporum beatitudinem æmulantur: illa solatia contemnimus, quorum unica guttula omne mundi nectar immensum excedit: paternum singularis illius Providentiæ sinum fugimus, in quo qui recumbit, terrestri paradiso fruitur. An non ergo nobismet ipsis insensi sumus, qui lutum pro auro commutamus?

Equidem ô Domine! his gratiis caremus, quia non toti tui sumus. Tu nobis cœlestia subtrahis; quia nos tibi terrestria negamus. minùs liberalis es erga nos, quia nimis avari sumus

K 3

mus

(cccc) De imit. Christ. l. 3, c. 3.

mus erga te. Sed pudet, tam sordidè hæctenus tecum egisse: piget, perfectionem in postremis habuisse. Spes bonorum per virtutem solidam in hac adhuc vita acquirendorum potens deinceps illius sectandæ incitamentum erit. Tu ô JESU, qui nos cupis perfectos esse, *sicut Pater cælestis perfectus est*, (dddd) da, ut forti ausu tandem aliquando rumpamus vincula, quæ nos terræ alligatos, à prævio hoc cælo arcent: & vitiis mancipatos à probitatis semita abstrahunt. Da, ut asserti in libertatem filiorum DEI, anticipato sanctitudinis præmio in hoc jam mundo beatè vivamus.

§. II.

Soli perfectionis studiosi placidè moriuntur.

I.
Ob requiem à laboribus præteritis.

I. **Q**Uàm placidus probi hominis sit obitus, inde patet, quòd is in sacris Paginis somnus appelletur. *Sì dormieris*, (ait Salomon, talem alloquens

(dddd) Matth. 5. v. 48.

quens) *si dormieris, non timebis: quiesces, & suavis erit somnus tuus.* (a) Quibus verbis sapientissimus regum denotat, ejusmodi transitum 1. fore tranquillum: *quiesces*; 2. jucundum: *suavis erit*; 3. securum: *non timebis*. Hanc triplicem ob causam (ut commentatur Bernardus) *erit mors justii bona, melior, optima*; bona propter requiem: melior propter suavitatem: optima propter securitatem; (b) propter requiem à laboribus *præteritis*: propter suavitatem solatii *præsens*: propter securitatem ab anxietatibus *futuris*. Ob trinam hanc rationem etiam nos piæ animæ migrationem placidissimam fore asserimus. quam tamen sortem soli sperare queant ii, qui pietatis solidæ seriò studiosi vivunt.

Inprimis *mors justii*, virtutiq̃ singulariter addicti, erit *bona propter requiem à laboribus præteritis*: *quiesces*. Talibus enim in hoc rerum articulo constitutis *amodo jam dicit spiritus, ut*

K 4

re-

(a) Prov. 3. v. 24. (b) Epist. 105.

requiescant à laboribus suis. (c) Hi autem labores duplicis præcipuè generis sunt, nempe dolores corporis, & afflictiones animi. quidquid enim ærumnarum in hoc mundo est, vel corpus cruciant, vel animam torquent; itaque non rarò accumulantur, ut etiam generosos subin viros, & in patientiæ palæstra exercitatos athletas cum Paulo ingemiscere cogant: *infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (d) Verùm hoc ipso ex capite Bernardo teste *pretiosa est mors sanctorum; quia est finis laborum*, (e) quibus ii per vitæ cursum tum in corpore, tum in anima conflictabantur.

Tunc enim talium auribus allabatur dulcis illa Dilecti vox: *surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Jam enim hiems transit, imber abiit, & recessit.* (f) *Transit hiems illarum corporis molestiarum, morborum, & cruciatuum, quæ tot acerbita-*

(c) Apoc. 13. v. 14. (d) Rom. 7. v. 24.
 (e) Epist. 105. (f) Cant. 2. v. 10, & 11.

bitatum & afflictionum fertilis tibi causa fuerat. *Abiit imber* illarum aduersitatum, vexationum, & anxietatum, quæ tot tadiorum, curarum, & mœrorum perennis tibi fons exstiterat. *Recessit* denique ille nimbus ægrotationum, illa nox scrupulorum, quorum ille carnem tot angoribus afflixit; hæc verò mentem tot tenebris involvit, tot morsibus dilaniavit, tot terroribus complevit.

Proin surge amica mea ex hoc lecto doloris (g) & *valle lacrimarum*, (h) *ex hac terra tenebrofa & operta mortis caligine*. (i) *Egredere ô columba mea!* *ex hac caverna maceria*, (l) *tot turbinibus pervia*. *Propera exire ô formosa mea!* *de hoc lacu miseria & luto facis*, (m) *tuo candori tam noxia*. *Veni ô sponsa mea!* *veni de cubilibus leonum, & de montibus pardorum*; (n) id est, *de tot insidiis, occasionibus, & periculis peccandi, quibus hic mundus*

K 5

velu-

(g) Psal. 50. v. 4. (h) Psal. 83. v. 7. (i)
 Job. 10. v. 21. (l) Cant. 2. v. 14. (m)
 Psal. 39. v. 3. (n) Cant. 4. v. 8.

veluti totidem pedicis obiectus horret, & inter quas trepido pede continuo incedere debuisti: *veni, ergo, veni, & coronaberis.* (o) nam *reposita est tibi corona justitiæ, quam reddet modo tibi Dominus in hac die justus iudex.* (p) *tempus enim putationis advenit,* (q) *quo tanquam flos campi, & lili-um convallium,* (r) *à mortis falce à terra avulsum, cœlesti paradiso infere-ris.* O enimvero sensa divinam pa-
cem stillantia!

Quid ergo mirum, quòd ejusmodi moribundus fruatur quiete omni ma-
lacia tranquilliore? Quòd olorum mo-
re parentali voce lætus concinat illud
regii Vatis carmen: *latatus sum in his,*
quæ dicta sunt mihi: in domum Domini
ibimus; (s) illaque Ecclesiastici verba
usurpando, circumstantibus dicat: *vi-*
dete oculis vestris: quia modicum labo-
ravi, & inveni mihi multam requiem.
(t) En! omnis retro vita non nisi mo-
men-

(o) Cant. 4. v. 8. (p) 2. Tim. 4. v. 8. (q)
Cant. 2. v. 12. (r) Cant. 2. v. 1. (s) Psal. 121.
v. 1. (t) Eccli. 51. v. 53.

mentum modò fuisse videtur. Transierunt illatæ mihi injuriæ, contemp-
 tiones, calumniæ: transierunt illæ car-
 nis castigationes & sensuum refræ-
 nationes: illa jejunia & abstinentiæ.
 Transiissent modò etiam honores, il-
 lecebræ & commoda, si illis inhias-
 sem. Ex eis modò nil restaret nisi re-
 mordens conscientiam stimulus; cùm
 è contrario suavi nunc gaudio diffluam,
 quòd acquirendæ virtuti solidæ me to-
 tum impenderim: quòd non fecerim
 malum, quod facere potui; & egerim
 bonum, quod agere debui.

O! quàm magnæ nunc pacis ar-
 gumentum est, *non dilexisse mundum,*
nec ea, quæ in mundo sunt; (u) non
quæsiuisse propriam gloriam, (x) nec pri-
mos accubitus prensasse; sed accubuisse in
novissimo loco: (y) sed corpus castigasse,
& in servitutum redegisse: (z) sed me-
metipsum abnegasse, & crucem meam quo-
tidie portasse. (aa) O quantæ nunc
 mihi

(u) 1. Joan. 2. v. 15. (x) Joan. 7. v. 18.
 (y) Luc. 14. v. 7. (z) 1. Cor. 9. v. 27. (aa)
 Luc. 9. v. 23.

mihî tranquillitatis materia est, illam contumeliam dissimulâsse: ad illam vilipensionem siluisse: illam calamitatem patienter tulisse: multum laborasse pro proximo, plurima tolerasse pro DEO. O beatæ asperitates, contemptus, & ærumnæ! O generosum in adversis silentium! felicesque fatigationes! vos mihî clavis ad cœlum, vos ad celsiorem gloriam sublimis scala fuistis. Æternæ sint Numini grates, quòd ejus ope cum illo Juvene etiam ego *omnia præcepta custodierim à juventute mea.* (bb) quòd cum Davide etiam ego integrè *reddiderim vota mea, qua distinxerunt labia mea:* (cc) pro admissis verò culpis *in cilicio & cinere pœnitentiam egerim.* (dd) quòd denique *per bona opera certam meam vocationem, & electionem fecerim.* (ee)

O quàm prudens fui, quòd perfectiorem vivendi normam præven-
rim illos timores, quos morituro
creare solet vita tepidiùs acta; quòd
cave-

(bb) Matth. 19. v. 20. (cc) Psal. 69. v. 14.
(dd) Matth. 11. v. 21. (ee) 2. Petr. 1. v. 19.

caverim illos angores, quos nunc paterer, si illi instinctui obstitissem. Ah! illi tentationi potuissem & ego consentire! quin & à lapsu jam proximè abfui; sed adhuc restiti. Heu! si illi tepori indormissem, quò devenissem? sed excussi: salutem meam sum operatus: sudavi, & alsi in vinea Domini. Proin à cœlesti Patrefamilias promissum nunc denarium & ego fidenter exspecto. Et hoc est, quod meam nunc mentem summè tranquillam reddit. Ita talis moriens: hæc sub mortem sunt sensa Justi, qui virtutis solidæ studiosus vixit. Inde patet, quàm dulce sit meminisse laborum, discriminum & ærumnarum, quos constanter obivimus, providè vitavimus, fortiter pertulimus; quantopere horum memoria tranquillent animum.

Superi! ò quàm saniùs de perfectione sub vitæ finem, quàm sub ejus exordium sentimus. Si enim illa secundùm eam temporis seriem spectetur, qua incipit; enimvero terribile quid

quid horridumque videtur esse, viginti vel triginta annos in arcta solitudine, & constanti corporis afflictatione transigere; decem vel quindecim lustris *adversus carnem & sanguinem* luctari; *adversus rectores tenebrarum harum & contra spiritualia nequitiae* (ff) continuo pugnare.

Ac verò si hæc eadem vita consideretur eo, quo desinit, momento, in ipso scilicet Justo obitu, ô quàm pulchra ea, quàm optabilis ac beata apparet! Tunc enim anima, *quæ carnem suam crucifixit cum vitiis & concupiscentiis suis*, (gg) cum moribundo Salvatore pariter exclamat: *consummatum est.* (hh) Equidem si præterita respicio, (exultans perget illa) magna mihi certamina fuere sustinenda, plures obices superandi, magni conatus exerendi. Sed immortales DEO sint grates: *consummatum est*; miseriarum tempus abiit nunquam rediturum; transiére labores non amplius repetendi:

(ff) Eph. 6. v. 12. (gg) Gal. 5. v. 24.
(hh) Joan. 19. v. 30.

di: pertexta est malorum tela. Nulli amplius erunt morbi, adversa nulla, nullæ cruces, poenitentia nulla. Nulla mihi posthac erunt coërcenda desideria, nullæ affectiones subigendæ, nulli assultus repellendi. Verbô: *consummatum est.*

Graves quidem & plures exantlandæ fuerant tempestates, sed jam tuta teneo portum: diuturnum quidem & difficile erat exilium, sed jam felix conspicio patriam: post longum arduumque cursum tandem attingi stadii metam: per *terram desertam, inviam & inaquosam* (ii) tandem perveni ad fontem omnium voluptatum. Paulò post comprehensura sum, quod hætenus cum difficultate credidi: brevè possessura sum, quod cum anxietate speravi: mox aternùm amanda vicissim impensè amabo, quod hucusque tam tepidè dilexi, Summum Bonum. Finis miseriarum mundi erit simul initium deliciarum cœli. O felix antea-actorum recordatio! tu suave illud bal-
sa-

(ii) Psal. 62. v. 2.

samum es, quod aspera quæque miranda dulcedine lenit, & summa quiete morituri perfundit mentem. Quis ergo inficias ibit, ejusmodi animæ transitum fore tranquillum ob beatitudinem, quam tot certationibus imponit, coronidem?

II. Verùm non solum erit *bona mors* *justi ob requiem à laboribus præteritis:* *quiescet;* sed etiam erit *melior propter suavitatem solatii præsentis: suavis erit.* Hoc autem solatium ex triplici potissimum fonte tunc in ejusmodi moribundum emanabit 1 ex testimonio bonæ conscientiæ, 2 ex vacuo creatis affectionibus animo, 3 ex aspectu Christi è cruce penduli.

I. Ad primum quod attinet, etiam de tali dici potest, quod S. Paulus de Henoch affirmat, nempe *ante translationem testimonium habuisse, placuisse DEO.* (a) nam etiam is *habet testimonium conscientiæ suæ, quòd in simplicitate cordis, & non in sapientia carnali,*

(a) Hebr. 11. v. 5.

nali, sed in gratia DEI conversatus sit
 in hoc mundo. (b) Audit in intimo
 sui cordis resonantem quandam vo-
 cem, quæ præteritæ vitæ æmula jam
 echo est; hæc ipsum de Numinis ami-
 citia ea, quam Synodus Tridentina
 admittit, morali securitate certum
 reddit. hæc fidum ei se vadem præbet,
 omnia illum rite confessum, D E I
 filium jam esse cœliq̄ue hæredem, qui
 perseverantiam finalem æternamq̄ue fe-
 licitatem à Divina Misericordia firmi-
 ter sperare queat. hæc eidem asseverat,
 eum de numero illorum esse, quo-
 rum ex Christi sententia est regnum cœ-
 lorum, (c) & quibus Judex divinus
 aliquando dicet: *venite benedicti Pa-
 tris mei.* (d)

Haud quidem ignorat, quamdiu
 vita superstes in labris hæret, gratiæ
 jacturam facere sanctissimum quemque
 posse. Attamen etiam novit, even-
 tum ejusmodi rarissimum esse, albis-
 que corvis annumerandum. Scit,

Pars III.

L

quia

(b) 2. Cor. 1. v. 12. (c) Matth. 5. v. 3.
 (d) Matth. 25. v. 34.

quia *fidelis DEUS est*, (e) qui non finet malè mori, qui bene vixit: nec ad Babylonem appellere illum, qui Solyimam versùs iter instituit. Notum est ei illud Joannis oraculum: *si cor nostrum nos non reprehenderit, fiduciam habemus ad DEUM*, (f) nempe eum nobis propitium fore, nec permissurum nos tentari supra id, quod possumus.

Porro quàm liquido solamine hæc testificatio ejus mentem perfundat, quantam ea quamque firmam salutis spem eidem instillet, inde patet, quòd talis dæmoni, timidos angores inge-
renti, illud ipsum fidenter respondeat, quod olim Patriarcha Jacob persequenti se Labano reposuit scilicet: *scrutare, siquid tuorum apud me inveneris.* (g) Scrutare, lustra, perquire, quantum libet; nil habeo, quod tuum est: nil tuæ superbæ & ambitionis: nil tuæ malitiæ & fraudum apud me deprehendes. Imò illis ipsis S. Martini

ver-

(e) 1. Cor. 10. v. 13. (f) 1. Joan. 3. v. 21.
(g) Gen. 31. v. 32.

verbis eundem audacter alloquetur, dicens: *quid adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.*

Nempe *justus moriens, quasi leo confidens, absque terrore damnationis erit.*

(h) Et licet tunc *diabolus descendat ad eum, habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet; (i) nihilominus ille velut acies castrorum ordinata, (l) quasi civitas munita, (m) aut murus æreus (n) stygis assultus victor retundit. confortatus in Domino & in potentia virtutis ejus, ac indutus armaturam DEI, stat adversus insidias diaboli, omnia tela nequissimi hostis ignea levi flatu extinguens. (o)*

Præterea tot anni servitio Numinis consecrati: tot dies, quorum singula momenta in quæstu fuerunt posita: tanta congeries meritorum, locupletissimi instar thesauri in alterum orbem præmissorum, hæc, inquam, L 2 æquis-

(h) Prov. 28. v. 1. (i) Apoc. 12. v. 12.
(l) Cant. 6. v. 9. (m) Psal. 30. v. 22. (n)
Isa. 15. v. 20. (o) Eph. 6. v. 11. & seq.

æquissimas in spes ejus erigunt mentem. Cùmque Christus enunciaret, *pauperum spiritu esse regnum cælorum: misericordes misericordiam consecuturos: mundo corde DEUM visuros: pacificos filios DEI vocandos: persecutionem passis propter justitiam, mercedem fore copiosam in cælis.* (p) cùm asseveraverit, eos, qui se humiliaverint, fore exaltandos: (q) qui luxerint, consolandos: qui esurierint, saturandos: qui denique omnibus relictis secuti eum fuerint, hos centuplum accepturos, & vitam æternam possessuros; (r) hæc, inquam, cùm Divinum Servatorem interposita infallibili sua authoritate pollicitum esse sciat; ex altera verò parte cùm conscientia eidem testimonium perhibeat, se illas condiciones implevisse, quibus *immarcescibilem gloria coronam* (s) justus Judex alligavit, etiam de hac sibi imponenda nullus dubitat. cùm in suo vitæ catalogo illas virtutes DEI digito expressas videat, quibus cumulatissima hæc præmia

(p) Matth. 5. v. 3. & seq. (q) Luc. 14. v. 14.
 (r) Matth. 19. v. 29. (s) 1. Petr. 5. v. 4.

mia fuere promissa, eadem quoque, infinita Numinis fidelitate fretus, mira securitate expectat; cumque de oleo charitatis sibi in tempore providerit, à coelesti Sponso cum illis *Virginibus fatuis* (t) excludi nullatenus metuit; sed admittendum se ad Agni nuptias ea fiducia sperat, quam nulla tentatio excutere, nullus angor turbare, nullus justitiæ timor imminuere potest.

Quis autem explicabit consolationum magnitudinem, quæ inde in talem animum redundabunt? Ah! *beatum illum divitem esse, qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit.* (u) fidelem illum prudentemque servum esse, quem *constituet Dominus super omnia bona sua;* (x) imò non solummodo servum, sed amicum Christi, quin & filium DEI hæredemque esse; idque tacito quodam vadimonio testari conscientiam; eamque id testari in articulo mortis, in limine æternitatis, pauculis ante

L 3 tre-

(t) Matth. 25. v. 12. (u) Eccli. 31. v. 8. & 10. (x) Matth. 24. v. 47.

tremendum illud iudicium horis ; id est, eo tempore, quo omnis regum cognatio, cuncta honorum vocabula, omniumque regnorum hæreditates nostra etiam opinione fumus, umbra, nihil sunt : & quo sola Numinis gratia, favor ac amicitia aliquid sunt ; hoc enim vero hominis pii ex hac vita migrationem jucundissimam reddidit dulcissimamque *ob suavitatem* nempe *solatii presentis*, quod eidem bonæ conscientiaë testimonium suggerit, supeditatque.

2. At non minùs efficax erit illud alterum ejus solamen, quod ex secundo fonte scaturiet, scilicet ex vacuo creatis affectionibus animo. Quod enim mortalibus *in substantiis suis pacem habentibus* (y) supremum ex hoc orbe discessum, imò vel solam ejus memoriam adeò tristem efficit ac amarum, est avulsio ab illis rebus, quibus anima nimio affectu, agglutinata adhæret. Præposterus enim terrestrium amor, ac dominantes nobis cupiditates

(y) Eccli. 41. v. 1.

tates sunt illud discordiæ pomum,
quod mentibus injectum Balthassari,
Ezechiaë, Epuloni aliisque innumeris
transitum ex hoc mundo adeò acer-
bum reddidit ac luctuosum, tantas-
que in eis turbas excitavit, tot lacri-
mas ipsis & lamenta expressit. Nam
decedere illis honorum subselliis tan-
topere amatis: excedere illo palatio
tam magnificè ornato: deserere illas
opes adeò sollicitè congestas, relinque-
re illas voluptates tanto cum æstu
quæsitas, hoc est, quod illi superbo,
diviti, ac voluptuario homini cor me-
dium lethali plaga diffindit.

Contra verò o quam magna cum fidu-
cia moritur, (Hieronymi sententia est)
quem nullius rei affectio detinet. (z)
Quid enim eum turbet, affligatque?
an gazæ ignotis relinquendæ? verùm
has ille jam pridem vel reipsa vel af-
fectu abjecit. an dignitates aliis ceden-
dæ? sed has non solum nunquam am-
biit, sed semper sprevit. num per-
dendæ sensuum deliciæ? at his pri-

L 4

dem

(z) Epist. ad Cyprianum presbyterum.

dem sibi severa lege interdixit. Sed nec contristabunt eum negotia abrumpenda; cum his se solum mutuaverit: nec amici abdicandi; cum ejus amicitia se ultra aras non extenderit: nec caro in cineres redigenda; hanc enim diu jam hostis loco habuit: nec mundus deserendus; nam semper consideraverat se tanquam advenam & peregrinum super terram, *non habentem hic manentem civitatem.* (aa)

Hinc morti voracissimo illi mortaliu helluoni ultro intrepidus occurrit, suumque corpus sponte illi devorandum obrudit, ut vivo hoc carcere destructo, mens tandem ad supera eocius avolet libera. Imminentem illum latronem osseum latus excipit, irridetque; cum pravia omnium abdicatione, nil illi, quod rapere queat, reliquum fecerit. Falcigerum illum Divinae Nemesis lictorem, se ad tribunal evocantem, paratus sequitur; cum conscientiae rationes optime compositas habeat. Ipsi, quos in extremis
pati-

(aa) Hebr. 13. v. 14.

patitur, dolores eidem gaudii materia sunt, eò quòd anticipata solutio ac mite lytrum sint, queis luenda aliàs in lustrali carcere debita expunguntur, ac diuturni immanesque cruciatus levi impendio redimuntur.

Exemplo nobis sit Franciscus Suarez, illud Societatis nostræ fidus illustrissimum, qui insigni doctrinæ excellentem sanctimoniam adeò felici nexu copulare noverat, ut orbem dubium reliquerit, quænam alterutri pal-
mam præripuerit. Hic ergo agoni proximus in hæc verba erupisse traditur: *nunquam putabam, tam suave esse mori.* Similia de aliis quoque narrantur, qui ad extrema deducti, cœlestibus deliciis innatantes, eucharisticas Numini laudes piosque hymnos vel præierunt ipsi, vel alios decantare iusserunt.

Scilicet stellæ erant terrestri vapore immunes: gemmæ erant nativo cortice exemptæ: aquilæ erant infectas visco pennas exutæ. Verbò: animæ erant omni mundano affectu liberæ.

Et hinc torrente voluptatis eo etiã
 tempore potabantur, quo mundi sui-
 que cultores *moriuntur in amaritudi-
 nibus animæ suæ.* (bb) Terræ pertasi,
 cœlorum avidi, appetituum domini,
 non nisi illum respirabant, quem uni-
 cè amabant. Intensissimi amoris
 actus, flammantia ad cœlum suspiria,
 ardentia DEI videndi desideria ultimi
 eorum conatus erant, inter quos illi
 instar lucernæ in domo Domini lu-
 cendo: instar thymiatis in ara templi
 expirando: instar holocausti charita-
 tis igne leniter consumpti, summas
 inter dulcedines ad Superos migrârunt,
 æternum coronandi. Ex his abunde
 liquet, justis hominis mortem suavif-
 simam fore ob vacuum creatis affe-
 ctionibus animum; quam adhuc dul-
 ciores reddet Christi è trabe penden-
 tis aspectus, cujus effigies plerumque
 unica moribundi eaque obvia supel-
 lex est.

3. O quàm plenum solatio specta-
 culum erit Servatoris ligno affixi simu-
 lacrum

(bb) Job. 21, v. 25.

lacrum iis, qui secundum hoc exemplar mores composuerunt. O quantum in divino hoc prototypo consolationem moriens nanciscetur ille, qui ita vixit, ut verè de se ipso dicere possit: *Christo confixus sum cruci.* (cc) Nam defixus in ejusmodi imaginem pio cum sensu intuitus 1. lenit dolores corporis; 2. auget fiduciam animæ.

Inprimis quòd is miræ virtutis balsamum sit, allevandis morborum molestiis aptissimum, in comperto est illi, cui latentia ibidem mysteria distinctiùs sunt perspecta. Si enim aquæ Maræ per immissum à Moyse lignum *in dulcedinem sunt versa*; (dd) si Eliseus per inspersam pulmento farinam *abstulit, quidquid amaritudinis in olla fuit*; (ee) quid non efficiet, animata fide memoria patientis pro nobis DEI? Si aspexisse *serpentem æneum pro signo positum* (ff) ægrotantibus Israëliticis tantum levamen attulit; quid

(cc) Gal. 2. v. 9. (dd) Exod. 15. v. 25.
 (ee) 4. Reg. 4. v. 41. (ff) Num. 21. v. 9.

quid non allevamenti afferet conspectus illius, cujus teste Augustino *aneus ille serpens solum figura fuit?* (gg) Nempe oculorum in ejusmodi effigiem conjectus *botrus cypræ* erit, (hh) & *dulcis gutturæ fructus*, (ii) qui celesti suavitate, quidquid amaroris agrotatio creat, plurimum mitigabit.

Nec mirum; dum enim pia mens *suum dilectum ex millibus electum*, (ll) flagellis discerptum, spinis redimitum, clavis perforatum, lancea transfixum miseranti obtutu considerat, pudet eam sub capite spinoso esse membrum tam delicatum. Dum suos, quos tolerat, dolores cum illis ærumnis: sua, quæ sordet, crimina cum Illius innocentia componit; rubore suffunditur, quod tantillum ei tot gemitus exprimat. O mi JESU! dolens ingemiscit: tu integrum calicem uno tractu exhauris; & residuam ego eamque unicam, quam mihi propinas, guttulam sorbillare recu-

(gg) Serm. 101. de tempore, (hh) Cant. 1. v. 13. (ii) Cant. 2. v. 3. (ll) Cant. 5. v. 10.

cusem? magna est velut mare contritio
tua; (mm) & me tenius hæc stilla
demergat? Absit à me tanta tecum
dissimilitudo. non enim est servus ma-
jor Domino suo, (nn) nec melior.
proin hìc ure, hìc seca, modò in
æternùm parcas.

Adhæc dum Christum audit tor-
mentorum adhuc plura sitientem, quo
suum homini amorem testetur: dum
eum videt paratum, pro unaquaque
anima denuo mori, idemque, quod semel
pertulit, supplicium iteratò pati; (id.
quod eum esse, S. Birgittæ divinitus
innotuit) hæc, inquam, cùm perpen-
dit, piè sibi irascitur, illamque divi-
nam sitim æmulando, etiam ea affli-
ctionum amplius, amplius infirmita-
tum expetit, provocatque. Quo ipso
animi vigore etiam corporis cruciatus
plurimùm allevantur. Unde patet,
quàm potens eorum lenimen pius
morientis Jesu aspectus sit.

Sed nec minorem is animæ fidu-
ciam addit. Quem enim illa timeat
hoc

(mm) Thren, 2. v. 13. (nn) Joan, 13. v. 16.

hoc clypeo munita? Quid non speret hoc pignore erecta? *Ecce DEUS Salvator tuus* (cum Isaia tali moribundo inclamari potest; dum eidem Christi è cruce penduli imago porrigitur) *ecce DEUS Salvator tuus!* proin *fiducialiter age; quia ipse est fortitudo tua; ipse factus est tibi in salutem.* (oo) In eo possides invictam contra tentationes panopliam, universalem contra animi morbos panaceam. Si cupiditatum æstus te cruciet, *fons est aque salientis in vitam æternam,* (pp) qua profanos ignes victor restinguas. Si stygius te milvus persequatur, ejus vulnera sunt *caverna maceræ, & foramina petre,* (qq) quò instar columbæ tuta confugias. Si *urgeat super te puteus os suum,* (rr) illius cor *civitas refugii est;* (ss) ubi defensa quiesces. Clavi anchora sunt, qua omnis tua spes solidabitur; crux tabula est, in cuius complexu in beatæ æternitatis portum *secura enatabis.* Edic jam,
an

(oo) Isa. 12. v. 2. (pp) Joan. 4. v. 14.
 (qq) Cant. 2. v. 14. (rr) Psal. 68. v. 16.
 (ss) Josue 29. v. 32.

an non solida hæc salutis pignora
sint? an non potentia fiducia inci-
tamenta?

At nondum hîc stitit sui prodigus
Servatoris amor; ut enim omnem ex
animo tuo diffidentiam pelleret, suæ-
que te charitatis certum redderet, mo-
rituriens caput inclinat ad osculum
pacis: extendit brachia in amplexus:
latus aperit in asylum, sanguinem fun-
dit in animæ balneum. Insuper ad-
vocatum tuum apud Patrem agens,
supplici gemitu veniam tibi his ab eo-
dem verbis exorat: *Pater demitte illi:*
(tt) *recordare paupertatis meæ, absyn-*
thiæ ac fellis, (uu) & parce eî secun-
dum multitudinem miserationum tua-
rum. (xx) Certè marpesia caute du-
rior es, si hæc tibi fidentiam non in-
stillant.

Quid enim? plûsne ergo efficaciam
insit sanguini Abelis, quàm voci Chri-
sti? quis blasphemus annuat? Si ergo
ille

(tt) Luc. 23. v. 34. (uu) Thren. 3. v. 19.
(xx) Esdr. 13. v. 22.

ille, clamans de terra ad cœlum, inde
 ultricem pœnam detraxit; quanto ma-
 gis vox sanguinis Filii, ascendens è
 cruce ad Patrem, nobis veniam im-
 petrabit? Si nec homines *dant scorpio-*
nem flagitanti ovum, aut lapidem po-
scenti panem; quantò minùs *Pater cœ-*
lestis negabit *spiritum bonum*, id est,
 gratiam petenti eam pro nobis Nato?
 & quidem summos inter cruciatus ex-
 spiranti Nato? (yy) Si Is à DEO *ex-*
auditus est pro sua reverentia, (zz) dum
 supplicat pro inimicis; quantò magis
 omnia obtinebit, dum orat pro ani-
 ma fideli & virtutis amante? Ah!
 Numinis pupillam lædit, qui JESUM
 morientem considerans, de sua salute
 diffidit; cùm omnia in eo cœlesti va-
 dimonio æternam nobis vitam promit-
 tant. Proin desperanter dejectus est,
 quem ista in spem non erigunt.

Quis ergo neget, pium Salvatoris
 ligno affixi conspectum lenire dolores
 corporis, & addere fiduciam animæ?
 adeoque hominis justis transitum non
 fo-

(yy) Luc. II. v. II. & seq. (zz) Hebr. s. v. 7.

solùm esse bonum ob requiem à laboribus præteritis; sed præterea esse meliorem ob suavitatem solatii præsentis, quod tunc in eum ex triplici fonte scaturiet, nempe ex testimonio conscientiæ bonæ: ex vacuo creatis affectionibus animo: denique ex Christi è cruce penduli aspectu.

III. Adhæc idem justi obitus in-
super erit *optimus ob securitatem ab an-*
xietatibus futuris, seu ab illo timore
novissimorum, qui homines tepidos
in illo rerum articulo horrendùm cru-
ciare consuevit; *non timebis.* Nam
tria præcipuè perfectionis incuriosum
sub vitæ finem anxium habere solent,
nempe mors, iudicium, & carcer
lustralis; illa terret ob omnium priva-
tionem, istud ob Judicis rigorem,
hoc ob pœnarum acerbicatem. Nihil
horum virtutis studiosus in extremis
constitutus multopere formidat.

III.
Ob securi-
tatem ab
anxietati-
bus futu-
ris, seu à
timore no-
vissimo-
rum.

I. Cùm enim, dum integra adhuc
valetudine gauderet, sibimet ipsi cum
Apostolo *quotidie sit mortuus*, (a) id
Pars III. M est,

(a) 1. Cor. 15, v. 31.

est, cùm indies affectum à rebus terrenis amplius abstraxerit, suisque se commodis exuerit; cùm cor suum à sensuum blanditiis & honorum illicitis quovis die magis ac magis avulserit, & sic animam à corpore lento discidio gradatim sejunxerit; cùm per quotidianam ultimæ horæ considerationem se familiarem morti ciceremque reddiderit, tantum abest, ut eam metuat, ut etiam ambiat; hoc ipso enim, quòd nullius rei affectione captivus detineatur, omnibus mundi vinculis liber multa lubentia eò proficiscitur, quò tot annorum vota jam turmatim præcesserant.

Dein novit perbene ex Tertulliano, *non esse timendum, quod nos liberat ab omni timendo*, (b) scilicet à cruciatibus carnis & ærumnis animæ, præsertim à malorum omnium maximo nempe peccato. Id ergo cùm præstet mors; cùm felicem ea impotentiam inducat & patiendi, & peccandi, eandem non solùm non horret, sed

po-

(b) Tertull, lib. de anima.

potiùs oprat. Scit ex Seneca, *nihil esse in fato terribile nisi ipsum timorem.* Et hinc etiam ipse cum eodem exclamat: *pone, quæso, larvam istam, sub qua lates, & stultos territas; mors es, quam nuper servus meus & ancilla contempsit;* (c) cui tot milites & nautæ imperterrita fronte obviam quotidie in occursum ruunt. Sensui dolorem inferre poteris, non animo; & quidem talem solùm dolorem, qui reliquis imponat finem, & quo graviores innumerari jam sunt perpeffi. Quis ergo prudens te metuat?

Præterea credit, præsentem hanc vitam esse exilium à cælo, divortium à supremo Bono, blandamque captivitatem, quæ privat perfectâ libertate filiorum DEI, & quæ quò longiùs producitur, eò diutius nos à cœlesti patria arceat. Fatetur, eam ob curas, quæ pungit: ob negotia, quæ distrahit: ob cædia, quæ obruit, amori divino ingenti impedimento esse; eandemque ob violentiam cupiditatum,

M 2

ob

(c) Lib. 3. epist. 24.

ob tenebras intellectûs , ob corruptelam perversæ voluntatis hominem constituere in morali quadam necessitate optimum Numen offendendi. Quin imò certus est , si eam sibi diutius protrahere contigerit , se denuo levi saltem piaculo conscientiam foedaturum.

Ex altera verò parte à S. Ambrosio docetur , ultimum ex hoc mundo discessum *non tam naturæ quàm malitiæ terminum , non tam vitæ quàm culpæ finem , non tam hominis quàm criminis sepulturam esse.* (d) Ex S. Gregorio Nazianzeno audit , quòd *mors Sanctorum non mors , sed , mutato nomine , ad DEUM discessus , desiderii cumulus , vinculorum solutio , oneris excussio sit appellanda.* (e) Hinc etiam ille cum Jona hujus auræ pertæsus ingemiscit : *Domine tolle , quæso , tolle animam meam à me ; quia melior est mihi mors quàm vita.* (f)

Denique in comperto habet , nos hinc *in stadio currere , & in agone contendere*

(d) Lib. de fide resurrectionis. (e) Orat. 18. in laudem Cypriani. (f) Jonæ , 4. v. 3.

tendere ; (g) nam *militia est vita hominis super terram*. (h) Scit, vivendi curriculum difficilem & periculofam peregrinationem esse ; *quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino*. (i) Novit, annorum seriem diuturnum quoddam supplicium, lentum-que martyrium esse ; nam *tota vita Christiani, crux est & martyrium*. (1) Hanc ergo militiam, peregrinationem, & martyrium finiri eò impensius desiderat, quò proximius à victoria, termino, & corona distat. Cùmque DEUM facie ad faciem intueri, eum perfecto complexu possidere, ei-que intimo nexu uniri ardentissimè cupiat ; simul tamen cognoscat, ad hanc felicitatem alia quàm per obitum via perveniri haud posse, omni hora illud momentum adesse exoptat, quo, positis exuviis, beata necessitate amabilissimum Numen perpetuò amare cogatur. Amandato procul omni mor-

M 3

tis

(g) 1. Cor. 9. v. 24. (h) Job. 7. v. 1. (i) 2. Cor. 5. v. 6. (1) Augustin. serm. 1. de tempore.

tis timore cum Davide suspirat: *concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* (m) *heu! mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* (n) *Educ tandem ô Domine! educ de hac corporis custodia animam meam.* (o) *Nempe qui levare poterit faciem suam absque macula ad cœlum, is teste Hussæo Vate in agone erit stabilis, & non timebit mortem.* (p)

2. Sed nec formido instantis iudicii magnam justo, ad extrema deducto, sollicitudinem injiciet. Meminit quidem, quod *Justitia DEI sicut montes, ejusque judicia velut abyssus circumvallent judicandum.* (q) Non ignorat, illud tribunal esse supremum, latamque ibidem sententiam fore immutabilem. Credit, Judicem esse omnium scientem, rigidissimum, inexorabilem. Sed tamen insuper etiam novit, illud ipsum infallibile Numen tum per Ecclesiasticum, tum per Aposto-

(m) Psal. 83. v. 3. (n) Psal. 119. v. 5. (o) Psal. 141. v. 8. (p) Job. 11. v. 15. (q) Psal. 35. v. 7.

stolum sanctè promississe, ante iudicium interrogantem seipsum, in conspectu illius inventurum propitiationem. (r) item: qui semetipsos iudicaverint, non esse iudicandos. (s) Cùm ergo conscientia ei testimonium perhibeat, se per accuratam animi perscrutationem in omnes navos indagasse; & dein per sinceram, claram & integram exomologesin omnia errata sacro iudici rite exposuisse; cùmque eadem conscientia interno quodam vadimonio de amicitia divina eum mira spe securum reddat, omni pavore liber intrepido pede coram eo se sistit, de quo sacræ Paginæ affirmant, esse *miserationes eius super omnia opera eius.* (t)

Verum quidem est, æterna DEI in eligendis ad gloriam, & reprobandis mortalibus decreta, esse incomprehensa & mysterio plenissima. At simul etiam verum est, *illius misericordie non esse numerum, & bonitatis infinitum esse*

M 4

the-

(r) Eccli. 18. v. 20. (s) I. Cor. 11. v. 31.
 (t) Psal. 144. v. 9.

thesaurum; (u) ex quo cùm talis recordetur, tot jam in se tamque singulares gratias fuisse profusas, his modò etiam finalem accessuram magna fidentia sperat; adeoque non ut hostem se, sed ut amicum, hæredem & filium in illo tribunali habitum iri, magnopere confidit.

O *Judex vivorum & mortuorum!*
 (x) fidenter exclamat: *equidem iniquitatem meam ego cognosco; tibi peccavi: malum coram te feci.* (y) Fateor, *iniquitates meae supergressæ sunt caput meum,*
 (z) & *multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* (aa) Sed tamen memor esto verbi tui, in quo mihi spem dedisti.
 (bb) Tu enim enunciasti per Ezechielem: *convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.*
 (cc) Tu promisisti per Zachariam: *convertimini ad me, & ego convertar ad*
 ad

(u) Eccles. in orationibus missæ. (x) Act. 10. v. 42. (y) Psal. 50. v. 5. & 6. (z) Psal. 37. v. 5. (aa) Psal. 39. v. 13. (bb) Psal. 118. v. 49. (cc) Ezech. 18. v. 30.

ad vos. (dd) Habeo chirographum tuum: teneo verbum tuum. Jam verò ô Pater misericordiarum! en! egi *pœnitentiam: ad te sum conversus; id testatur conscientia.* Ergo & tu jam *convertere ad me, ne sit mihi in ruinam iniquitas;* (ee) ne potentia tibi aut fidelitas defuisse dicatur, quò minùs promissis steteris. Ah! stabis; quis dubitet? etiam me, tuo iudicio absolutum, beato pœnitentium choro benignè adjunges. Ita se solatur, & animat Justus in limine æternitatis constitutus.

Illam sacri Codicis verba: *si peccator egerit pœnitentiam, omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei; sed vita vivet:* (ff) hæc, inquam, verba scuti loco eidem sunt, quo vibrata Justitiæ tela tutus excipit, & avertit; illumque, quem aliàs moribundis iudicii hujus rigor incutere solet, terrorem si non omnino ex animo expellit, plurimùm sanè minuit, alle-

M 5

vat-

(dd) Zach. 1. v. 3. (ee) Ezech. 18. v. 30.
 (ff) Ezech. 33. v. 16.

vatque. Nempe verissimum est, quod præfagit Bernardus: *bonam conscientiam fore securam, cum corpus morietur: securam, cum anima coram DEO presentabitur: securam, cum utrumque in die iudicii ante tribunal terrificum justi Judicis statuatur.* (gg)

3. Denique ad pœnas quod attinet in Iustrali carcere fors subeundas, neque has nimio opere timet; cum illas anticipato providè lytro per spontaneas corporis castigationes, intensos virtutum actus, & multiplicem Ecclesiæ indulgentiam si non omnes, saltem maximam partem, præviè exolverit. Nixus illo Christi effato: *miseriordes misericordiam consequentur;* (hh) item: *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis:* (ii) non adeò sibi ab ignis illius acerbitate metuit; cum enim detentis in purgantibus flammis animabus magno semper ardore & constanti pietate succurrerit, indeque illas eximere omni conatu studuerit, firmiter

(gg) Lib. de interiori domo c. 23. (hh) Matth. 5. v. 7. (ii) Marc. 4. v. 24.

miter sperat, se propterea innoxium per illos ultrices rogos transiturum; idque beneficio illius, qui, quod suis exhibetur, charitatis opus sibi impensum existimat; cum dicat: *quod fecistis uni ex his, . . . mihi fecistis.*

(11) Ex quo concludit, fieri haud posse, ut Christus iisdem vinculis indui sinat illum, qui eum iis toties exolvit, quoties alios inde libertati restituit.

Quodsi etiam Divinae Nemesei aliquid debiti persolvendum ab eodem sit; si etiam cum illo fonte Villico in igneum illud ergastulum mitti eum contingat, ibidem tamdiu excrucian- dum, *donec reddat novissimum quadran- tem*; (mm) tamen magnopere con- fidit, se per aliorum sacra precesque piaculares, per Sanctorum suffragia & Beatae Virginis supplicationem brevi inde liberatum iri. Praecipuam vero fiduciae suae anchoram firmat in me- ritis Christi, quae non solum valore infinita, sed Illius dono etiam nostra sunt.

(11) Matth. 25. v. 40. (mm) Matth. 5. v. 26.

sunt. Hæc ergo peculiari confidentia æterno Patri in lytrum offert, certus ea rejicere nec Justitiam posse, nec Misericordiam velle; cùm illa exhibendo eminenter plus solvat, quàm debeat.

Et demum, si etiam ultor DEUS absque omni venia cum justis rigoris hostiam esse jubeat; si vindicti suo furori eundem plenè sacrificare implacabilis decernat: si etiam contractas labes severus Judex quàm diutissime illis cruciatibus expiari ab eo iratus cupiat; pronus adorat imperium Numinis: osculatur castigantem Patris manum, & æquissimæ ejus sententiæ se promptum submittit. Gaudet, quòd sibi Misericordia abuso, saltem Justitiam extollere detur, & patièdo supplere, quod agere neglexit. Quæ ipsa voluntatis suæ cum Divina conformitate nimium ignis illius metum haud parum mitigat, sedatque. Quo fit, ut non solùm mortis & judicii, sed nec lustrici carceris supplicia magnopere timeat; adeoque ejus obitus
omni-

omnino placidissimus sit etiam propter securitatem à timore novissimorum.

O igitur mortem Justi verè bonam propter requiem à futuris : *quiescet* ; meliorem propter suavitatem solatii præsentis : *suavis erit* ; denique optimam propter securitatem ab anxietatibus futuris : *non timebit*. Unde manifestè concluditur, homines pietatis genuinæ studiosos non solùm beatè vivere, sed etiam quietè mori. Quo quid utilius promitti ? quid excellentius in hac adhuc vita sperari ? quid ad persuadendum perfectionis studium efficacius afferri possit ?

An non ergo enormis amentia rei sumus, si tam insignium bonorum jacturam inertes facimus ? Si hac vitæ beatitate & mortis quiete privari nos sinimus propter vah ! pudet eloqui ; propter crepundia, quæ vel propalare horremus ; ob pugillum cineris, qui cum vento in auras abit : ob modicum mellis, *quod gustatum affert*

mor-

mortem. (nn) Agite, in unam bilan-
 cem conjiciamus omnes illas sensuum
 voluptates, carnis commoda, mundi-
 que illecebras, quarum amore sancti-
 moniæ callem deserimus; alteri verò
 imponamus illa solatia, queis anima
 perfectionis avida tum in hoc adhuc
 mundo existens, tum inde in alium
 migratura gaudet, fruitur, & abun-
 dat. O quanta intercapedine poste-
 riora hæc, illa priora dignitate &
 suavitate superant, exceduntque; &
 nihilominus, *flumina Babylonis* (oo)
 huic deliciarum mari stolidè antepo-
 nimus.

Comparemus laborem in acquiren-
 da sanctitate exantlandum cum illa
 fatigatione & conatu, quem obtinen-
 dis rebus creatis impendimus, & pa-
 rebit, jure etiam nos cum illo Asceta
 ingemiscere posse: *ô Domine! quoniam
 venimus? ecce! damnum defletur tem-
 porale; pro modico questu laboratur, &
 curritur; & spirituale detrimentum in
 oblivionem transit, & vix serio reditur.*

Quod

(nn) Job. 6. v. 6. (oo) Psal. 136. v. 1.

Quod parum vel nihil prodest attenditur;
& quod summè necessarium est, negligenter præteritur. (pp) Omnes quidem cupimus felices vivere: nemo est, qui non summis votis ambiat beatè mori. Porro ad terrestrem hanc beatitudinem unica deducit via, nempe constans virtutis cura. Hæc scimus; imò etiam credimus; & tamen ipsissima hæc virtus est, quæ vilipensa tantopere negligitur, & quibuslibet nugis postponitur. An non sanguineis digna lacrimis hæc socordia est?

Igitur tandem aliquando domestico huic ac coævo nobis errori larvam detrahamus, & ad sectandam probitatem solidam nos identidem incitemus spe bonorum per eam tum in vivis, tum in agone acquirendorum. Jam nunc præstemus, quod tunc in illo rerum articulo fecisse optabimus; cùmque horreamus, fatis concedere cum tepidis, ætatem agamus cum fervidis. Nam mors est echo vitæ: qui vult mori in Domino, non vivat nisi
DEO;

DEO; illique sanus consecret omne id, quod ei obitum reddere inquietum possit.

O fortis nostræ Arbitr DEUS! jure asseverasti, *beatos esse immaculatos in via*, (qq) & *timentis te bene fore in extremis*; (rr) hinc credo, (Te id asserente) quia *pretiosa est in conspectu tuo vita & mors Sanctorum*. (ss) *Moriatur igitur etiam anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia*. (tt) Verum cum id fieri nequeat, nisi etiam mores moribus respondeant; fixum est, hodie adhuc auspici sanctius vivendi genus per sacrificium illius rei aut affectionis, quæ hucusque majoris in virtute progressus princeps obstaculum fuit. Tu, *sine cujus Numine nihil est in homine*, (uu) exequendo huic proposito necessarias suffice vires; ut & ego esse merear ex numero illorum electorum, qui beatè vivunt, & placidè moriuntur.

§. III.

(qq) Pſal. 118. v. 1. (rr) Eccli. 1. v. 13. (ss) Pſal. 115. v. 15. (tt) Num. 23. v. 10. (uu) Ecclēſia in oratione.

§. III.

De opposito spei vitio, seu de perfectionis desperatione.

EQuidem fatemur, virtutem solidam ad summæ nos beatitudinis apicem evehere. Concedimus Justi fortem tam in vita quàm in morte felicissimam esse; illumque *cum Maria optimam partem elegisse*, (a) qui ejus acquirendæ studio se totum addicit. Admiramur miram ejusmodi hominis etiam in adversis quietem: suspicimus in eo mentem terrenis omnibus superiorem: invidemus ei mortem omnino tranquilliolem. At verò femita, quæ illuc tendit, hæc nimis arcta nobis & angusta: hæc confragosa nimis & aspera videtur; hinc eam inire horremus.

Similes sumus illis exploratoribus, qui missi fuerant, ut regionem, quam DEUS Israëlitis promiserat, inspicerent;

Pars III.

N

rent;

(a) Luc. 10. v. 42.

rent; quique inde reversi coram
 omni populo facti sunt, *terram qui-*
dem lacte & melle manare, fructus ejus
 esse uberrimos, glebam felicissimam;
 attamen eam *devorare habitatores suos:*
urbes habere grandes atque muratas:
ibique monstra quaedam esse de genere gi-
ganteo; unde desperati concludebant:
nequaquam valemus obtinere eam. (b)
 Hæc, inquam, figura est illorum, qui,
 licet agnoscant, vitæ beatitatem &
 mortis tranquillitatem, qua sanctitas
 suos assecras in hoc adhuc mundo
 coronat, esse summam; tamen eam,
 nescio, queis portentis circumseptam
 esse somniant, quæ instar Colchici il-
 lius draconis omnem illis aditum ad
 vellus hoc aureum præcludant.

Porro triplicis potissimum generis
 solent esse illi obtentus, quibus no-
 stram in procuranda virtute solida
 inertiam palliamus, & ob quos de
 perfectione desperamus, nempe 1. na-
 turæ indoles, 2. vitæ conditio, 3. la-
 boris arduitas; quorum inanitatem
 præ-

(b) Num. 13. v. 27. & seq.

præfens paragraphus ob oculos ponet, & ostendet, licet pietatis via spinis obsita sit, tamen eas haud usque adeò pungere: licet arcta ea sit, tamen adeò angustam haud esse nec asperam, ut generoso pede perrumpi nequeat; illaque monstra non nisi inania phantasiæ ludibria, propriique amoris figmenta esse.

I. Ad primam igitur excusationem quòd attinet, nihil communius est hac nãnia, dicentium: ô felices illos, qui cum Salomone *sortiti sunt animam bonam*, (c) vel cum Sadoc *egregiam indolem!* (d) his enim facile est, *assumere pennas sicut aquila, ambulare, & non deficere* (e) in via perfectionis. At verò ego, *cujus sensus & cogitatio in malum prona sunt ab adolescentia*; (f) & *cujus appetitus abierunt post pravitatem cordis*; (g) ego, qui *captivatus in lege peccati, quæ est in membris meis, quod nolo malum, hoc ago*; ego, inquam,

N 2 infe-

(c) Sap. 8. v. 19. (d) 1. Paral. 12 v. 28.
 (e) Isa. 40. v. 31. (f) Gen. 8. v. 21. (g) Jerem. 9. v. 14.

infelix homo (h) qui potero, terram exutus, non nisi coelum respirare?

Ita est, ait alius, non omnia fert omnia tellus: non cuilibet glebæ inferi flores queunt, nec quolibet ex trunco sanctus exsculpi potest. Sunt enim, quibus ipsa humorum & inclinationum diversitas ingenti obstaculo sunt. Qui enim fieri possit, ut ille, qui ob fervidam bilem sinu leonem nutrit, migret in mitem agnum? qui ob ebullientem in venis sanguinem vivum hydrargyron est, fiat *sicut nycticorax in domicilio, aut sicut passer solitarius in tecto?* (i) ut is, qui ob dominantem sibi melancholiam ingenita affectus tristitiâ est, innubi fronte ad-versa ferat? Aut qui ob abundantem pituitam totus limaceus ac testudineus est, cœlestibus flammis ardeat, & ad sanctimonix culmen *similis caprea, saliens in montibus, & transiliens colles,* eluctetur? (1) Quis à luteo homine id miraculi speret? Nempe quàm pa-
rum

(h) Rom. 7. v. 19. & seq.
v. 7. & 8.

(i) Psal. 101.

(1) Cant. 2. v. 9.

rum mutare potest athiops pellem suam,
aut pardus varietates suas, (m) æquè
parum talis congenitum sibi vitium
exuet, ac oppositam virtutem induet.

Nihilominus his insuper habitis,
ajo, & contendo naturæ indolem,
sive ignea ea sit sive terrea, pituitosa
aut sanguinea, sanctitati acquirendæ
non solùm nulli impedimento, sed
ingenti etiam (modò quis artem cal-
leat) adjumento fore. Id quod in-
nuere videntur illa quatuor animalia
Ezechieli olim ostensa, quorum pri-
mum hominis speciem gerebat, alte-
rum leonis, tertium aquilæ, quartum
denique similitudinem bovis præsefe-
rebat. Hæc enim quatuor animalia,
per quæ (ut interpretes volunt) illi
quatuor humores nobis exhibentur,
qui varia hominum temperamenta
conficiunt; hæc, inquam, quatuor ani-
malia coram facie sua ambulabant; ubi
erat impetus spiritûs, illuc gradiebantur;
(n) id est, vim spiritûs, à quo at-
trahebantur, ita sequebantur, ut neque

N 3 dextro-

(m) Jerem. 13. v. 23. (n) Ezech. 1. v. 12.

dextrorsum, neque laevorsum aberrarint; qua mystica imagine docemur, nullam corporis constitutionem, mentisve habitudinem obtinendæ perfectioni obesse; nam licet nobis æquè iracunda foret natura ac leoni, æquè volatilis ac aquilæ, æquè lenta ac bovi, æquè tandem inconstans ac homini, qui *nunquam in eodem statu permanet*; (o) nihilominus tamen si ductum gratiæ fidei flexu secuti fuerimus, per justorum semitam recto cursu ad virtutis bravium perveniemus.

Exemplis res clarescet. Quis enim erat ingenio magis truculento quàm Paulus? Quis in voluptates magis propenso quàm Magdalena? Quis divitiarum magis avido quàm cum Matthæo Zachæus? Et tamen omnes quatuor, insuper habita sua hac adeò viscosa ac rebeli propensione, magnum sanctitudinis gradum sunt adepti. *Saulus (qui & Paulus) erat spirans minarum ac cadis in discipulos Domini.* (p) Magdalena erat nota *in civitate peccatrix.* (q)

(o) Job. 14. v. 2. (p) Act. 9. v. 1.

(q) Matthæus *sedebat ad telonium*, (r) eidem non tam corpore quàm mente affixus. Zachæus erat *princeps publicanorum*, (s) id est, eorum, qui iniquis foenerationibus quæstum facere consueverant. Et tamen ille fit subito *vas electionis*: (t) *isti dimittuntur peccata multa*: (u) ex ultimis duobus unus *Apostolus*, (x) alter *filius Abrahæ* audit. (y) Quis ergo naturam obtendat, quò minùs sanctitati intendat?

Et quamvis ejusmodi mutationes victricis gratiæ miracula sint, non tamen adeò infrequentia sunt, ut similia à nobis sperari haud possint. Percurrantur Ecclesiæ fasti, evolvantur Sanctorum annales, & summam virtutem cum indole sanguinea, biliosa, melancholica, & pituitosa eodem ipso nexu composita reperiemus, quo olim ab Isaia *lupus cum agno, pardus cum hædo, leo cum ove, & vitulus cum urso habitare sunt visi*. (aa)

N 4

Docu-

(q) Luc. 7. v. 37. (r) Marc. 2. v. 14. (s) Luc. 19. v. 2. (t) Act. 9. v. 15. (u) Luc. 7. v. 47. (x) Luc. 6. v. 15. (y) Luc. 19. v. 9. (aa) Isa, 21. v. 6.

Documento nobis sint Augustini, Gualberti, Guilielmi aliique innumeri, qui non obstante inclinationum perversitate magna modò altarium decora sunt. Itaque agnoscamus cum Ambrosio, *Sanctos non fuisse nature prestantioris, sed observantiæ majoris.* (bb) Cúmque illi idem fuerint, quod nos sumus, fieri etiam nos posse, quod illi nunc sunt; modò eandem, quam ipsi, etiam nos ineamus viam.

Certè in illa ingenti multitudine Israëlitarum procul dubio plurimi numerabantur, qui eadem, qua nos vel etiam vehementiori, mentis intemperie agitabantur; qui æquè leves ac nos fuerant, æquè iracundi, tristes ac torpidi; & tamen etiam hos & quidem omnes, neminem excipiendo, renum scrutator DEUS sanctos esse iussit, atque perfectos, *dicens ad Moysen: loquere ad omnem cætum filiorum Israël: sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus DEUS Vester.* (cc)

Jam

(bb) Ambros. in lib. de Joseph. (cc) Levit. 19. v. 2.

Jam autem æquissimum Numen
 impossibilia haud imperat. Ergo
 etiam illis, qui ejusmodi effrænatis
 animi motionibus infestabantur, per-
 fectio possibilis erat: ergo etiam nobis
 possibilis est. Adeóque etiam tu ô
 biliose, non obstante hac tua ad iram
 proclivitate: etiam tu ô sanguinee cum
 omni tua ad voluptates propensione:
 etiam tu ô melancholice & phlegma-
 tice cum atra tua bile & dominante
 pituita fieri sanctus potes; quid dubi-
 tas? potes. Nam etiam tu ex nume-
 ro illorum es, quos teste Apostolo
*DEUS vocavit vocatione sua sancta, ut
 essent sancti.* (dd) Inanis proin ac
 futilis est, petitus ab humorum im-
 moderatione obtentus.

Præcipuè cùm per gratiam Servato-
 ris naturæ feritas non minùs cicure-
 tur, quàm per infertum feliciorum
 furculum sylvestris arbor corrigitur,
 & mutatur. Nam etiam tu, qui in-
 faustam te indolem fortitum quereris,
 asserente id Paulo, *excisus es ex natu-*

N 5

rali

 (dd) 2. Tim. 1. v. 9.

*rali oleastro, & insertus es in bonam
 olivam, (ee) licet enim ex oleastro
 appareat, quis sis per naturam, quam
 recepisti ab Adam; tamen etiam è con-
 trario ex bona oliva elucet, quid es-
 se valeas per gratiam. Es equidem
 sterilis arbor, culturae impatiens, in-
 genio aspera, nihil præter acrimoniam
 habens & amaritudinem. At verò
 quia, cum oleaster esses, insertus es in bo-
 nam olivam; quia socius radicis & pin-
 guedinis olive factus es; (ff) inexcusa-
 bilis es o homo, (gg) si tuo tepori
 humorum temperamentum obtendere
 pergas.*

Quid enim? an ergo Christi virtus
 in te efficere minus queat, quam in
 insito sibi furculo sylvestris truncus
 potest? Potest insititius ramus agre-
 stis trunci naturam mutare; & tuam
 immutare Christus non valeat? Quis
 tantam ejus gratiae infirmitatem affin-
 gat? Proin confide; modò illam in
 te tu agere sinas, nec ejus operatio-
 nem

(ee) Rom. 11. v. 24. (ff) Rom. 11. v. 17.
 (gg) Rom. 2. v. 1.

nem prohibeas, sensim ea in omnes animæ facultates illabetur, eique suas dotes communicando, eandem penitus in aliam transformabit. Sicut enim omnis acrimonia, naturalis amaritudo, ceteraque improbæ oleastri qualitates per insitionis artem evanescent; ita etiam omnis naturæ tuæ feritas & indolis intemperies cœlestis auxilii succo mitescet. Proinde (concludit Basilus) *nemo in vitio constitutus, seipsum desperare velit; haud nescius, agriculturam immutare habitudinem stirpium, (hh) & vigilem sui curam navos mentium.*

Quid? quòd hominis temperamentum, quodcunque demum illud sit, acquirendæ virtuti non solum nulli sit impedimento; sed insuper ingenti, si eo uti quis noverit, adjumento esse possit. Ipsa imperans menti motio, quæ prævalenti humori suam originem debet, si ad sanctiorem scopum collineet, scala nobis erit, & sublimis ad perfectionem gradus.

Docu-

(hh) Homil. 3.

Documento nobis sinte laudati superius Sancti. Sic Magdalena suam illam ad amandum propensionem quidem retinuit; solum eandem à profano amore ad coelestem deflexit. Paulus quoque, postquam ad bonam frugem se receperat, æquè minax, ardens & zelans, ac ante fuerat, permansit; solummodo rei objectum mutavit, ardorem illum, quem prius persequendæ Ecclesiæ impenderat, eidem postmodum propagandæ sacrando. Matthæus avaræ fami, qua antea aurum appetierat, animarum fitim substituit. Ignatius gloriæ militaris appetentiæ Divini honoris zelum subrogavit. Gualbertus odium, quo prius hostem persequabatur, in seipsum detorsit. Sicque mira metamorphosi eadem ipsa affectio in adminiculum transit, quæ sanctitati obtinendæ obstaculum fore censebatur.

Hanc eandem solertiam etiam orcus usurpat, ut nos eò facilius in malum propellat. Nam teste Cyrillo *dæmon illuc maximè nos incitat, quo nos*
per

per nos ipsos inclinari perspicit, infirmitatem nostram ad arma nequitiae suae convertendo, & ingenii nostri morbo adversus nos ipsos utendo. (ii) Et hinc (ut notat S. Leo) omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas querit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. (ll) Quidni ergo & nos idem remedium adhibeamus ad proficiendum, quo stygius alastor tam feliciter utitur ad nocendum. Efficacitas hujus industriae vel ipsum Aristotelem advertit, dum scribit, spectandum esse, ad quae nos procliviores simus, atque inde in melius objectum abstrahendos. (mm)

Imò aliqua ex parte optabilius videtur, potius sortitum esse indolem asperam quàm pacatam, & ad bonum ceream flexilemque. Dantur enim virtutes quaedam, quae adeò naturalem habent cum peculiari quorundam hominum genio similitudinem, ut omnes fermè fucata sanctitatis specie
deci-

(ii) In Joan. lib. 6. cap. 16. (ll) Serm. 7. de Nativitate. (mm) 2. Ethic. cap. ultimo.

decipiantur, atque naturam pro pietate suspiciant. Sic non rarò dominans phlegma mansueta lenitas, melancholica tarditas prudens gravitas, affabilis comitas proximi charitas mendaci nomine appellatur. Quo fit, ut pleraque ejusmodi hominis opera superni ordinis dignitate, merendique vi destituantur, & sub mortem appareat vitrum fuisse, quod is gemmam putavit. Ab hac autem deceptione eò remotiores erimus, quò magis indomitas motiones nacti fuerimus. Unde patet, easdem acquirendæ perfectioni non solùm nulli impedimento, sed magno insuper adjumento fore, si rite eas cicurare noverimus. Ut proin ob naturæ indolem de assequenda sanctitudine nulli fas sit desperare.

II.
Vite conditio.

II. Utì nec ob vitæ conditionem. Sunt equidem, qui censent, perfectionem non congruere omni mortali statui, nec cuilibet hominis ætati. Eandem existimant esse fructum quendam peregrinum, qui non nisi

in

in anachoretarum desertis crescat, aut in Religiosorum cœnobiis pullulet. Illam ejus generis unionem aut thesaurum esse arbitrantur, quem in mari æstuantis sæculi, aut in agro sylvescentis mundi reperire haud sit. Ob turbarum strepitum, negotiorum tumultum, curam familiæ sanctitatis semitam mundanis imperviam esse opinantur. Juventutem ob ætatis teneritudinem, senectutem ob virium debilitatem conscendendo virtutis monti impares esse autumant. Unde inferunt, sanctimoniam nec cuilibet hominum statui convenire, nec omni ætati.

Et hinc imaginaria hac impotentia freti, eandem tranquilli negligunt. Juvenes illam remittunt in senectam: Senes dolent, eam nil curasse in juventa. Pauperes invident divitibus tot adjumenta ad sanctitudinem perveniendi. Divites gemunt, tot impedimentis se ab eadem arceri. Nobilis aulam, judex curiam, miles arma, studiosus literas, civis opificium, rusticus

sticus stivam judicant esse causam, quò
 minùs sancti pridem effecti, non jam
 miracula patrent. Omnes inanibus
 solùm votis conscientiam & tempus
 fallunt; dum non rarò ingemiscunt:
 ô si alio in statu aut loco forem! si
 alio munere occuparer, aut meliori
 fortuna fruerer, quàm perfectior vi-
 verem! ô si redirent illi anni, occa-
 siones, & gratiæ, quàm fideliùs illis
 usus; his verò responsurus essem!
 Et sic quilibet omnem tepidioris vitæ
 culpam vel in munus, quod obit:
 vel in ætatem, quam agit: vel in lo-
 cum, quem incolit: vel in personas,
 quibuscum degit, imprudens & falsus
 conjicit; cùm non fortis conditio,
 sed voluntatis inertia hujus mali fons
 sit & origo.

Et certè omnes hos splendidè falli
 Sanctorum annales luculenter osten-
 dunt. Nam (ut ex infinitis paucos
 recenseam) Henricus in throno, Ra-
 degundis in aula, Eustachius in castris,
 Ivo in curia, Crispinus in officina,
 Isidorus agros colendo, Wendelinus
 greges

greges pascendo insignem sanctitudinis lauream sunt consecuti. Præterea Stanislaus in adolescentia, Aloysius in juventute, Ignatius in virili ætate, Augustinus in senectute sancti evaserunt. Patricius peregrinando, Aquinas studendo, Hermannus ægrotando, Blandina ancillando magnum sanctimoniam apicem conscenderunt. Queis docemur, perfectioni obtinendæ nullam statum aut ætatis, nullam vitæ aut sortis conditionem magnopere obesse.

Adhæc quis pluribus negotiis obrutus fuerat quàm Moyses, Josue, Samuel? Quis majoribus familiæ curis distentus quàm Abraham, Isaac & Jacob? Quis gravioribus injuriis vexatus quàm David, Jeremias ac Job? Et tamen hi Beatis immixti modò *lucent sicut stella in perpetuas æternitates.* (nn) Potuerunt ergo isti & quidem in veteri lege, non obstantibus his remoris, ad virtutis bravium pertingere; cur tu id nequeas in lege gratiæ,

Pars III.

O

ubi

(nn) Dan. 12. v. 3.

ubi copiosior longè fortiorque est divini auxilii affluens ubertas ?

Sed, missis exemplis, sola ratio de rei veritate nos convincit. Nam genuina pietas consistit in eo, ut quis rite impleat omnes injuncti à DEO muneris partes; ut recurrentes quotidie actiones obeat bene; nilque patret, vel omittat, quod fieri lex jubet, aut vetat. Jam autem id sub quovis fidere, quocunque in statu, quavis premente fortuna, à quovis præstari posse, abunde declaratum est hujus operis parte II. cap. I. §. I. num. III. Ergo etiam quivis, ubivis, quodcunque demum urgeat fatum, vivere perfectus potest.

Equidem si sanctitudo in excelsa contemplationis vertice constituta hæreret. Si in tetrico solitudinis deserto, aut cruento asperitatum vepreto, aut in procellosa maris insula exul lateret; tum enimvero haberet, quod dictis opponeret ille aulæ minister & curiæ judex, ille tenellus juvenis & debi-

debilis agrotus. At verò cui arduum adeò ac difficile accidat, ut opera aliàs peragenda etiam obeat bene? ut ipse faciat amore cœli, quod alii præstant amore lucri? ut eâdem accuratione seruiat DEO, qua alii mundo? ut denique amabilissimum Numen haud ampliùs saltem pleno cum sensu offendat, irriter, lacestat? Quis pervicax adeò sit, ut hæc sibi impossibilia dicat? Ergo nec vitæ conditio, quæcunque ea sit, acquirendæ perfectioni obstaculo est; cùm quodvis hominum genus suos heroes numeret, quorum probitas est evidens argumentum, quemlibet in quolibet statu fieri sanctum posse.

At dices: quî fieri queat, ut quis sæculi tumultu distractus, familiæ curis distentus, variisque negotiis obrutus, puriorem virtutis respiret auram? At etiam hunc contendo ego, non adeò difficulter eluctari ad sanctitatem posse. Nam vita pœnitens est brevissima ad sanctimoniam via; quinam autem plura habent, quæ patiantur

quàm mundani, utpote queis cruces vel domi suæ diu noctuque ubertim germinant. Patienter enim ferre tristio-rem uxoris genium, refractariam liberorum indolem, indociles domesticorum mores; magnanimo silentio concoquere bonorum jaçturam, creditorum insolentiam, amicorum inconstantiam; hæc, inquam, & alia his similia constanti patientia tolerare, magni profectò ad pietatem passus sunt.

Dein cui plures occurrunt occasiones frangendæ voluntatis, subjiciendi intellectus, exercendæ submissionis, & reprimendi appetitus, quàm mundi servitiis mancipato homini? Si hæc omnia amore DEI ageret, ac pateretur, summis Ecclesiæ sideribus annumeraretur. Si ille opifex diurnos labores suos bona intentione inauraret, tenebricosam suam officinam in illustrem virtutum palæstram levi brachio transformaret. Verùm, cùm id facere negligant, vivunt quidem miseri in exercitio pœnitentiæ, sed moriuntur
sine

sine merito patientiæ. Fiunt martyres
dæmonis, qui potuissent esse Numi-
nis; & cum suis omnibus miseriis,
laboribus & ærumnis loco rosarum
non nisi spinas colligunt, ac præmii
loco solum augent pœnas in lustrali
carcere exsolvendas. Hæc cum ita
sint, quis ergo jam sanctitudinem suis
viribus superiorem, suoque genio ni-
miùm adversantem fingat?

At nequeo, ais, multa bona agere;
ergo saltem patiare modicum illud,
quo cruciaris, malum. Si non vales
patrare magna; ergo saltem cave, ne
negligas parva; nam cura minimo-
rum est trita ad maximam perfectio-
nem via. Si non potes proximum so-
lari eleemosynis, saltem ædifica exem-
plis. Si tibi non licet relinquere
opes, saltem exue affectum erga illas;
& in ipso honorum apice constitutus,
domesticæ vilitatis tuique nihili me-
mor, infra omnes te abjice. Nam
hac quoque via ad solidæ pietatis per-
venies culmen. Unde patet, perfe-
ctioni obtinendæ nullam vitæ condi-

tionem ita obesse, ut magno potius esse subsidio nequeat.

*III.
Laboris
arduitas.*

III. Ad tertium denique obtentum quod attinet, nempe laboris arduitatem, etiam hunc inanem nullumque esse ad oculum demonstrat vel obiter conjectus in mundi hujus universitatem obtutus. Quis enim est status in orbe, quod vitæ genus, aut quæ fortis conditio, quæ suis iisque gravibus & quidem plurimis difficultatibus circumsepta, oppleta, & infarcita non sit? Quis aulicus, miles, aut mercator est, qui non stentorea voce contendat, plura sibi fastidia devoranda, majores ærumnas exantlandas, acriores curas & metus preferendos esse quàm cuilibet cœnobitæ? Quis causidicus, opifex, magistratus suo muneri non ingemiscit, piamque Religiosis quietem non invidet? Imò quis Regum ac Imperatorum est, qui non queratur, regni coronam suis, quas occulit, spinis horrendum pun gere.

Et

Et tamen rarissimus est, qui propterea à coeptis desistat: sceptrum, arma, aut merces abjiciat: vel animum pusillanimis despondeat. Cùm ergo hos laboris arduitas non deterreat à terrestrium cupiditate, cur te absterreat à solida probitate? cùm hi propterea ab inito semel calle non referant pedem, cur tu ab arrepto semel aratro timidam retrahas manum? Et certè fugitivus è mundo exeat necesse est, vivusque sepulchrum ingrediatur, qui omne arduum delicatus fugit; cùm labor & dolor gemini illi cardines sint, circa quos nostra omnis vita constanti gyro circum rotatur. Inde colligas velim, quàm vana hæc & levis excusatio sit.

Dein si res æquiori oculo consideretur, pietatis semita adeò laboriosa haud est, prout illam amor proprius erroneis coloribus & mutuatis ab orco umbris depingit. Nam ut sanctus peccatum, quo colubrum; ut eadem velocitate excutias tentationem, qua

scintillam; eadem attentione ores, qua ludis; eodem fervore sacrifices, qua studes. Plus non requiritur, quàm ut eadem diligentia supputes conscientiaë labes, qua examinas œconomi rationes; ut eadem cura serves munditiam mentis, qua vestis; ut pari sollicitudine invigiles sensibus, qua opibus; ut denique non minori apud te loco sit sanctitas quàm sanitas, spiritus quàm corpus, anima quàm esca. Et hoc quis nimis arduum esse difficileque dicat? Ergóne una eademque res solùm tunc tibi impossibilis accidat, cùm illam exigit DEUS; quæ tamen tam facilis videtur, dum eam expetit mundus?

O Superi! ergóne magni adeò moliminis res sit interdum sapius meminisse illius, qui nostri nunquam obliviscitur? Ergóne operosum adeò negotium sit toto corde amare illum, qui est infinitè bonus in se ob infinitudinem suarum perfectionum, & infinitè bonus erga nos ob collatorum nobis beneficiorum infinitatem? Ergóne

gône gigantei roboris operatio fit, exuere seipsum, ut quis induat Christum? abjicere glebam, ut quis accipiat gratiam? contemnere cœnum, ut obtineat cœlum? abdicare se affectione creata, ut possideat omnium Conditorum? Quis prudens animus ejusmodi sensa non horreat? Si ad obtinendam perfectionem cumulandæ forent opes, augendi honorum tituli, mundi voluptates aucupandæ, omniaque adversa averruncanda; tum equidem excusationi locus foret. At verò cum sanctitas ex parte in eo posita sit, ut divitiæ deserantur, spernantur dignitates, deliciae fugiantur, & adversitates quærantur; cumque sciamus, etiam nos Christum indutos cum Paulo omnia posse in eo, qui nos confortat; hoc profectò clarè evincit, nullum esse, quem à laboris arduitate mutuamus, obtentum.

Accedit, longè durius esse jugum mundi quàm Christi, multò gravius esse onus carnis quàm crucis; cum tam aspera non desiderentur ab asse-

elis virtutis, quàm vanitatis. Nam pone tibi ob oculos hominem, qui melioris fortunæ faber sibimet esse cupiat, vah! quot injurias dissimulare, quot aculeos concoquere, quot repul-
sas ferre miserum oportet. Non est adu-
latio tam abjecta, non servitium tam vi-
le, non labor tam spinosus, quem subi-
re, ringente licet mente, non cogatur.

O quot curæ huic parenti non sunt
perferendæ, ut liberi habeant, quod
rodant: quot angores huic clienti sunt
tolerandi, ne perdat Mæcenatis fa-
vorem: quot tædia huic debitori sunt
glutienda, ut corradat, quo credito-
ribus satisfaciat? Quodsi etiam Amal-
thea inverso copiæ cornu talem beet,
quantopere ei non alendum est, &
sudandum, ne iterum fugacia bona di-
labantur? ne denuo, variante fortuna,
honori contemptus, abundantia ege-
stas tristi vicissitudine subrogetur? Ut
proin etiam de talibus dicere liceat,
quod Joannes de damnatis asserit: *non
habent requiem die ac nocte.* (oo)

Et

Et tamen (quod mirandum) summo nihilominus conatu coeptis insistent, nulla difficultate, quantumvis magna ea sit, à concepto proposito absterrentur. Licet jaculis pluat, aut ningat freudentibus hastis, tamen impavidi pergunt; quò facilis rei appetitio cæcos impellit. Et nos, vah probrum! nos cujuslibet molestiæ umbra à sectanda perfectione mox retrahat, deterreatque? Ergone (Hieronymi verba sunt) *ferventissimi in terrenis, non nisi in caelestibus frigidissimi simus?* Ergone tanta cura mundani homines temporalibus inhient; licet maxima eis superanda sint repagula? Et nos divinam Sapientiam, caelestes divitias, immortales honores ob levem remoram pigra quadam dissimulatione negligamus? (pp)

Utinam Fratres! (ingemiscit Bernardus) *utinam nos sic essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum seculares homines pecuniæ temporalis!* *Utinam eadem constantiâ tenderemus ad virtutem, qua illi ad honorem; tunc equidem*

dem beati essemus. At prò dolor! magna confusio est, & quidem magna valde, quòd ardentius illi & constantius perniciofa desiderant, quàm nos utilia. (qq)

Hinc jure minatur B. Laurentius Justinianus, nos olim ab istis secularibus viris, qui modò, ut sua vota perficiant, leto animo corpus periculis & animum perditioni exponunt, acriter accusatum iri. *Consurgent enim, inquit, consurgent tales nobiscum in judicio, & meritò condemnabunt nos, qui tam leviter à pietatis tramite deflectimus. Objicient nobis, quos ob vilem gustum & leve lucrum perpeffi sunt, labores quotidianos, animi angustias, inanem spem & diuturna certamina. Cùm econtra nos sudoris umbra exterriti, & bonorum caelestium incurii manus pigras sinui immiserimus.* (rr) Igitur ne id fiat, concludit S. Patriarcha, *evigilemus corde, & mentis aciem erigamus ad Dominum DEUM nostrum, poscentes humiliter clementiam ejus, quatenus dignetur dominan-*

(qq) Serm. 1. de alt. & bass. cordis, (rr)
Lib. de obed. cap. 9.

minantem nobis propulsare inertiam, (ss)
ut insuper habita naturæ indole, vitæ
condicione, & laboris arduitate, adeó-
que fugata perfectionis desperatione,
semper *eamus de virtute in virtutem;*
donec tandem ad ejus culmen eluctati,
videamus DEUM deorum in Sion, (tt)
ejusdem intuitu æternùm beandi.

(ss) Ibidem. (tt) Psal, 83, v. 8.



CAP. IV.